ACCADEMIA DI MEDICINA
DI
TORINO

ANTONII DE HAEN;

RATIO MEDENDI.

TOMUS QUARTUS

PARTEM VIII. COMPLECTENS.

ANTONII DE HAEN

RATIO MEDENDI,

TOMUS QUARTUS

PRAXEM VIM COMPLECTENS.

ANTONII DE HAEN,

S. C. R. A. MAJESTATIS;

CONSILIARII ET ARCHIATRI,

NEC NON MEDICINÆ IN UNIVERSITATE

VINDOBONENSI

PROFESSORIS PRIMARII;

RATIO MEDENDI

IN NOSOCOMIO PRACTICO.

TOMUS QUARTUS;

PARTEM VIII. COMPLECTENS:

Accessere ejusdem auctoris de Febrium divisionibus tractatus, & de Hæmorrhoïdibus libellus.

PARISIIS;

Apud P. FR. DIDOT, Juniorem, Bibliopolam, ad Ripam Augustinianorum, prope Pontem Sancti Michaëlis, sub Signo Sancti Augustini.

M. DCC. LXIV.

Cum Approbatione & Privilegio Regis.

ANTONII DE HAEN RATIO MEDENDI.

PARS OCTAVA.

CAPUT I.

VARIA DE SUDORIBUS IN MORBIS ACUTIS.

§. I. Hippocratica *tota noſtra methodus eſt.* §. II. *Longus* Hippocratis *textus ex* Progn. *limitatur*, *& ſuis exceptionibus traditur*, *ex ipſo* Hippocrate. §. III. *Morbi nomina exemplo* Hippocratis *quærenda.* §. IV. *Quæſtio an ſudor in ægra noſtra ſeptimo die contingens, criticus eſſet, necne, utrinque agitatur. Quandonam ante ſudorem criticum rigor præcedat oportet? quandonam non? Licet ſudores optimi ſint prægreſſi, nihilominùs in alios morbos incidere ægri, imò & in mortem, poſſunt. Eâ occaſione exponuntur quidam textus* Hippocratis & Galeni. §. V. *Multi iterùm textus*

Hippocratis *de ſudoribus continuis aut frequentibus explicantur, triſtique confirmantur exemplo.*

HIPPOCRATIS methodus ea noſtri noſocomii eſt; Hippocratis eſt, quam ad lectos ægrorum ſequimur, norma: non propriè quia ejus, ſed quia purum eſt naturæ ſtudium, nullis aut innixum, aut ſociatum hypotheſibus. Uti ad hoc demonſtrandum plura ſpecimina toties dedi, ſic etiamnum, quo Medicinæ ſtudioſis hæc norma maneat altâ mente repoſta, & quo promiſſis, tomo ſeptimo de totius doctrinæ Hippocraticæ adornando compendio datis, ſtare incipiam, notabiliora quædam referam.

§. II. De ſudoribus ad lectos ægrorum frequens ſermo eſt; qui, ut Hippocraticæ doctrinæ accommodandus, textum *Prognoſt. libri* ut baſin agnoſcit. » Sudores optimi quidem per om-
» nes morbos acutos, qui diebus ju-
» dicatoriis contingunt, & penitùs fe-
» bre liberant. Boni verò quicumque
» toto corpore orti, oſtendunt ægrum
» faciliùs ægritudinem ferre. Peſſimi
» autem frigidi, quique circa caput
» tantummodo, faciemque, & cer-

» vicem, oriuntur. Ii namque cum
» acuta febre mortem, cum mitiore
» verò morbi longitudinem, præsigni-
» ficant: qui & per totum corpus eo-
» dem modo, quàm secundum caput,
» fluunt. Qui verò milii formam refe-
» runt, & circa cervicem tantùm pravi,
» boni autem qui guttatim, & exha-
» lantes, contingunt. Atque hoc in
» totum de sudoribus animadverten-
» dum est, quod nonnulli ex dissolu-
» tione corporum, alii verò ex vehe-
» mentia inflammationis oriantur. »

Et *Coac.* n°. 572. » Sudor optimus sane,
» qui febrem die judicatorio tollit;
» utilis autem & qui allevat; malus
» verò frigidus, & ubi caput duntaxat,
» & cervix insudat. Nam & temporis
» diuturnitatem & periculum denun-
» tiat. »

Dum ad hunc textum doctrinam cli-
nicam accommodamus, semper me-
mores sumus legis ejusdem nostri in
arte dictatoris, qua naturæ aberratio-
nes & exceptiones attendere cautè ju-
beat, doceatque etiam bonis cum su-
doribus morbos nonnunquàm aut le-
thales, aut longos, fieri; tum & de-
fectum sudorum bonorum ita aliundè
suppleri, ut & citum sequatur, & tu-

tum judicium. His cautelis progressi, quousque artis præcepta indubitata, quousque dubia *Hippocrates* eadem tradiderit, intelleximus. En porrò exemplum.

Femina 26. annorum, febre continuâ acutâ, unà cum repetentibus fæpè doloribus capitis, atque pectoris, decumbens, die morbi quinto ad nosocomium nostrum adducta est. Maculas subpurpureas paucas in pectore mox in illa deteximus, ad dorsum, in ventre. Subdubitantibus Medicinæ studiosis num fortè pulicum morsus non forent, paulatim constitit ejuscemodi non esse: 1°. Quia fæpissimè in morsu pulicum punctulum distinctum rubicundius repetitur, lætior in ambitu rubedo. 2°. Quia sensim loca pallescunt, ut paucis postmodum horis, saltem die alterâ, aut vix, aut nulla reperias vestigia. Nihil tale in hac ægra; nam & maculæ hæ integrâ, quam occupabant, plagâ rubræ æquabiliter, & centro conspicuo carentes, nec ante diem morbi 12. evanidæ; an ad petechias ergo referendæ?

§. III. Quærebatur morbi nomen? Acuta febris cum cephalalgia ad phrenitidem fæpè referenda est, præsagitve

ſaltem illam; eadem cum laterum dolore, ad pleuritidem. At verò utriuſque loci dolor, nec perſeverans, neque explens pleuritidis aut phrenitidis definitionem, relinquebat nobis acuti ſolam febris ideam. Igitur morbum vocavimus febrim continuam putridam, imitati magiſtrum, qui *Epid.* I. hiſtoriam *Cleonactidis* ſic infit: „ *Cleo-* „ *nactidem*, qui ſupra *Heraclium* de- „ cumbebat, ignis, id eſt, febris ar- „ dens, vehemens ordine vago pre- „ hendit: dolebat autem ab initio ca- „ pite & ſiniſtro latere. „ Quemadmodum igitur ille morbo, quem vagi capitis laterisque dolores ab initio concomitabantur, nomen febris ardentis ſervaverat, ita & nos nomen ſynochi putridæ.

Secundum indicationem, in ſimili morbo formandam, bis ipſi vena ſecta eſt, data alimenta, potulenta, medicamenta, qualia ejuſmodi ægris *tomo I. Ration. Med.* nos dare ſolere deſcripſi. Sudor eam die ſeptimâ prehendit, iſque calidus, univerſus, copioſus, ſex horarum ſpatio, tam inſigni cum morbi levamine, ut poſt placidam noctem, ſola ſupereſſet capitis gravitas die octavo; febre pror-

sùm cum cæteris exulante ſymptomatibus.

§. IV. Quærebatur eſſetne judicata ægra διὰ τέλεος?

Utique dies criticus erat, & qui pro criſi ſudor optimus. *Aphor.* 4-36. Morbi autem conditio hæc erat: cruditatis ſigna urina habebat, alvuſque, uſque ad initium ſudoris: interim ipſa febris poſt ultimam miſſionem ſanguinis cujuſdam coctionis ſigna tulerat, perque illud ipſum remiſſionis tempus ſomnus inquietior, ſubdelirium, levis nauſea, criticam quamdam perturbationem ſubinſinuare potuerant, maximè quum brevi poſt ſudor tantus, tantoque cum levamine, ſequeretur.

Verùm defuerat rigor ante ſudorem. Rigorem autem ſudores criticos præcedere oportere, *Hippocrates*, *lib. I. Epid.* in *Cleonactidis* hiſtoria, in qua admirando laconiſmo ſuo ſylvam obſervationum integram comprehendit, nos docuit. Simulque retulit, eo quod rigor ante ſudorem defuiſſet *mulieri, quæ in littore habitabat*, licet ipſa poſt ſudorem febre omninò vacaret, tamen quinto febris ardentis die ſymptomata rediiſſe cruditatis, nec ſanatam ægram,

niſi ad undecimam obrigeſcens, novâ febre corriperetur, ab eaque tandem die decimo quarto judicaretur vomendo, ſudando. Quare eodem *lib. I. Epid. pag.* 915. *edit. Foëſ.* » Plerique » ægrotantium circa criſin rigebant ; » ac præcipuè ii, quibus non fluebat » de naribus ſanguis : rigebant autem » hi, & ſudabant. »

Hinc in *Zoïli* hiſtoria *pag.* 1023. » Neſcio, *inquit*, quomodo ille ſine » rigore judicaretur. » Et dein ſudores non decernentes enarrans, ſubjungit : » Abſque rigore eſt die 14. judicatus. » Oſtendit tamen poſteà, quàm imperfecta ejuſdem judicatio fuerit.

Itaque defectus rigoris de ſudoris jubebat dubitare bonitate, ad criſin ſufficiente ; ab altera parte conſulenda erat, quam de ſua ipſa regula fecerat *Hippocrates*, exceptio. Quippe refert *Epid.* 4. *pag.* 1131. » *Menandri vini-* » *torem*, non eſſe, ut quidem ſoro- » rem *Timenæi*, rigores paſſum, quam- » vis judicatione abſolveretur, eo » quod alvum perturbatam, ac liqui- » dam, ab initio morbi habuiſſet. »

Ad hanc exceptionem explicandam juvat decimus, iſque obſcurior, textus *lib. VI. Epid.* cum *Galeni* explica-

tione. Textus ſic habet: » Ante rigo-
» rem, urinarum ſuppreſſiones; ſi cum
» bonis ſignis proceſſerint, & alvus
» dejecerit, ſomnique affuerint. » In quem *Galenus* dum hiſtoriam *Menandri* elucidat: » Igitur ſi alvus plura de-
» jecerit, urinæ ſuppreſſæ fidere non
» convenit ad futurum rigorem præſen-
» tiendum: at ſi alvus fluxa non ſit,
» proximamque eſſe morbi judicatio-
» nem prænoveris, ægrotum rigere,
» ſudareque, neceſſe eſt. »

Quum igitur ægra noſtra, quemadmodum *vinitor Menandri*, perturbatam aliquomodo ac liquidam habuiſſet ab initio alvum, judicatio æquè bona & perfecta, quàm illa *vinitoris*, cenſeri poterat. Verùm ita cenſendo non fuiſſemus mentem *Hippocratis* ritè aſſequuti. Crebritate enim obſervationum ille didicerat haud modo, qui horrore præcedente caruiſſent, verùm etiam qui illum præcedentem habuiſſent, ſudores, incertæ prognoſeos eſſe, donec ſtatus inſequens judicationis confirmares certitudinem: quippe integrè judicari quandoque ægros ſudorum horum alterutro, unicâ; ſæpe alios repetitâ vice; imò non ſemper indè ne à morte quidem ægrum præ-

ſervari : Ita *Charion*, ex potûs abuſu in febrem ardentem lapſus, licet die 7. poſt rigorem acutè febricitans, diffuſoque per totum corpus ſudore manans, certo quodam modo judicatus videretur, nihilominùs die nono novum inſultum paſſus eſt; & graviorem die 14. cum ſudore; aliumque die 17. novo cum rigore, febre, ſudore; ac tamen non niſi 20. die (quo demùm modo non narrat,) abſolutè judicatus eſt. Et *Dromeadæ* uxor, licet ter ſudorem cum rigore experta, nihilominùs 6. die periit.

Igitur toties horum omnium exempla auditoribus in noſocomio demonſtrata, in pronuntianda ſententia cunctari omninò jubebat. Docuitque eventus haud inanem fuiſſe cautelam. Ægra noſtra die 8. 9. 10. calido balneo crurum inſidens, vomuit. Urinam hypoſtaticam die nono miſerat. Die undecimo alvum coctam, bilioſam. Die 13. vix veſtigia macularum. Die 14. optimè ac blandè purgabatur ab unciis quatuor Aq. Lax. Vienn. noctemque dato paregorico tranſegit tranquilliſſimam. At verò die 15. febre invadebatur tanti caloris, ut 104. gradum therm. *Fahrenh.* æquaret; qualem febris in

illa necdum attigerat. Die 16. mane calor 106. veſpere 109. gradus notabat. Vomitus interea, dura alvus, urina jumentoſa. Die 17. febris cum cephalalgia, vomitu flavo, flavâ alvo, ac pultaceâ, quater miſſâ. An tandem vomitu judicata alvoque? Ferè quidem; integrè autem nondum. Etenim diebus inſequentibus cum urina hypoſtatica vires rediere, pulchréque reſtitutæ ſunt functiones; caput autem vertiginoſum manſit, & hebes, & grave. Undè purgans cum paregorico repetitum: nihilominùs à die 23. vagi obſervabantur colici dolores, noctu quàm diu graviores, vomituſque frequentes. Et hinc, & quod oculorum album id innueret, & quod brevi ante ægritudinem vermes bis ore expulſiſſet, haud immeritò vermium nata ſuſpicio eſt. Datis ideò cum antihelminticis, tum purgantibus, demùm ſanitatem integram 34. die adepta eſt.

§. V. Atque hæc de ſudore critico; de eodem verò aut continuo, aut frequenti, paucis videamus. Sudores frequentes aut continuos, vi productos morbi, nunquàm in noſocomio ſalutavimus ſalutares, ſed vel in mortem, alioſve in morbos tendentes, vel de-

mùm, hiſce ceſſantibus ſudoribus, animadvertimus aut per alias vias, aut per bonum ſudorem, febres judicatas.

Confirmatam proinde ubiquè Hippocraticam veritatem conſpeximus. *Epid.* 1. *Eraſino*, qui 5. die morbi ſui periit, febres aderant ad mortem uſque cum ſudoribus. Et *Epid.* 3. *ægr.* 4. Phreniticus homo primo die habuit ſudorem copioſum, aſſiduum, toto corpore dimanantem; ita & die altero, & tertio, cum ſymptomatibus gravibus, quarto verò periit. Cur *Euxeni* uxor, *Epid.* 7. *pag.* 1224. ſeptimo poſt remiſſionem die obiit? Sudores affuerant ab initio per totum corpus; iterúmque morbo medium agente curſum. Cur *Nicolai* filius die 7. mortuus? Quia præter alia ſymptomata prava notat *Hippocrates Epid.* 7. *pag.* 1234. illum per morbi crudum ſtatum bis ſudâſſe. Cur *Philiſcus*, *Epid.* 1. *pag.* 966. die 6. cum ſudoribus frigidis extinctus? primo ac tertio crudi morbi die ſudaverat.

Sic viri immortalis doctrinam intelligimus, quam diverſis operum ſuorum docuit locis. *Prorrh.* 1. *text.* 58. » Sudor in febribus acutis copioſus » malus eſt. » Et mox initio 2. *Epid.*

» In ſiccis caloribus magnis, febres ut
» plurimùm citra ſudorem; ſin verò
» ipſis durantibus leviter ac gutta-
» tim pluere ceperit, febres eædem
» jam ab initio ſudores copioſiores,
» difficilioremque criſin, quàm alias,
» habent: licet tamen haud ita diffi-
» cilem, quàm ſi à morbi ipſius ratio-
» ne, aut naturâ, proſluerent. » In *Phrenitico*, in *Euxini* conjuge, in filio *Nicolai*, in *Philiſco*, veritas conſtitit effati Hippocratici *Coacar.* n°. 574. » Qui unà cum febre incidit ſudor, malus eſt. » Et quidni? Τὰ κρίσιμα ἐς βελτίον μὴ αὐτίκα ἐπιφαινέσθω, dixerat *Epid.* 1. *ſect.* 2. » Haud ilicò cum mor-
» bo appareant ea, quæ in melius ju-
» dicent. » Et quare non debent hæc ab initio apparere? Reſpondet ibidem, *pag.* 999. Τὰ προκρινόμενα ἢν ὡμῶς κριθῇ, ὑποτροφαί· ἢν δὲ μὴ, ἀκρισίαι. » Quæ in
» cruditate præmaturè judicant, mor-
» borum recidivas faciunt & ſi non has,
» tunc criſes aut malas, aut nullas: quin
» & ſi copioſiora, pernicioſa ſunt. »

Ex quibus liquet quantopere & *Hippocratis*, & noſtræ experientiæ, illorum Medicorum adverſetur methodus, quæ ab initio ad excretiones quaſcumque, potiſſimúmque ſudoris, vi-

res intendat omnes; methodus, inquam, quam optimus *Boerhaave* adeò damnavit *Aph.* §. 715. 716. » Sudor, » *inquit*, in initio acutæ febris cujus » cauſa paulo pertinacior..... ſi pe- » rennat, orbat ſanguinem liquido » diluente, reliquum inſpiſſat obſtru- » ctiones facit lethales; ſanguine po- » ſtea vix diluentibus, vel reſolven- » tibus auſcultante; undè omne ferè » acutorum genus produci poteſt. » Longus forem, omnia, quæ in hoſce binos textus *Boerhaavii*, ut & in 610. ac 698. illuſtriſſimus commentator habet, referendo: ſufficiat monuiſſe cuncta eo collineare, ut penitùs condemnet cum *Boerhaavio* lecti, conclavis, aëris, medicamenti, calorem, in communibus, quorum cauſa pertinacior eſt, acutis; & ut multis, potiſſimúmque tribus diverſis in locis, reſumat æternas *Sydenhami* laudes » quem, *ait*, » generosè, animosè, auſu generoſo, » ſe ſolum ferè, primumque, com- » muni torrenti oppoſuiſſe. »

Triſte hujus exemplum vidit noſocomium quondam. Italus homo à primo, ad quintum diem febris putridæ acutæ, potu theano copioſiſſimo, lectoque ac cubiculo calido, profuſiſſi-

mos ſibi elicuerat ſudores, à quibus vehementer debilitatus, meam demùm implorabat opem. Pergente ſudore die 6. & 7. nauſeas paſſus eſt, ventriſque dolores, die octavo copioſiſſimam alvum, ab 8. die ad 10. qua mortuus eſt, perpetuus ſudores. Malâ utique arte infelix homo per primos quinque morbi dies crudam moverat materiem, ſanguinemque exſiccârat; undè die 6, criticorum infidiſſimo, ad ventriculum & inteſtina materiæ morboſæ perturbatio nata; octavo die, non critico, evacuatio quidem alvi flava ac copioſa, ſed cæterum ſanguis adeò ſpiſſus, ut tranare per minima non potuerit, debilitaſque obſervaretur tanta, ut nec movere artus, nec in lecto ſe erigere, citra animi deliquium, poſſet; ac præterea, ab octavo die ad mortem uſque, ſudor à ſanguine ſic condenſato, ut aquoſa epota haud ultrà ſecum commiſcere poſſet, perpetuus manaret. An palpabiliore teſtimonio doctrinam datam poſſumus confirmatam videre? Caput tertium funeſta exempla plura ſuppeditabit.

CAPUT II.

VARIA DE CRISI MORBORUM.

§. I. *Obſervationes* Hippocratis *de morbis ſine criſi determinantibus; ad reſolutionem benignam minime referendis.* §. II. *Ejuſdem obſervationes de criſi perfecta.* §. III. *De criſi imperfecta cum recidiva.* §. IV, *Ejus mos agnoſcendi criſes, quæ alios in morbos tendant, imò quæ in mortem: Regulæ ejus de criſeos bonitate & perfectione judicandi.* §. V. *Perfectæ criſes, quæ imperfectæ videbantur, & versâ vice. Criſes cum perniciosis ſymptomatibus bonæ. Eâ occaſione diſſeritur de urinis nigris, quæ per ſe lethales, nonnunquàm tamen cum bona criſi apparuere. Attamen, unâ ægrâ exceptâ, quotquot poſt urinas nigras convaluere, non niſi poſt plures ærumnas convaluere.* Galeni, *& multorum cum illo, de urina nigra errores hypothetici. Et in chronicis urinam nigram laudamus, factâ bonâ criſi, formidamus faciendâ.* Piſonis *textus & caſus non dolent contrarium.* §. VI. *Criſes bonæ & perfectæ cum pravis, alio modo,*

urinis, pravis ſputis, &c. Criſes malæ, imò mortes, bonis cum ſudoribus, cum bonâ, imò hypoſtaticâ urinâ. §. VII. *Ad firmam prognoſin tamen urinæ bonæ paſſim requiruntur, ad eaſque* Hippocrates *attendit cum maximè.* §. VIII. *Bonæ ac pravæ urinæ ſolæ prognoſin non formant: jungenda illis ſemper ſigna reliqua. Bonæ, inſolitæ licet, criſes. Ad generalium regularum exceptiones perpetuò attendendum; eâ verò lege, ut haud ita exceptiones conſideremus, ac ſi regulam generalem auferrent. Pulcherrimum* Hippocratis *in hiſce exemplum.* §. IX. *Solæne urinæ morbos judicent? Probatur.* §. X. *Difficile ſæpè exordium determinare acutorum: quî hîc ſe geſſerit* Hippocrates? §. XI. *Agitatur quæſtio, num, criſi bonâ contingente, prædici poſſit fore eam perfectam, aut non perfectam? Regulæ* Hippocratis *omnem hîc nobis prudentiam ſuadent. Morbi ſive lethales, ſive periculoſi, nonnunquàm formantur inſciis ægris, inſcio medico. Hiſtoria ægrotantis adjungitur, quæ multa confirmat dictorum.*

§. I. EX *Hippocrate, Galeno, Aretæo Cappadoce,* cæteriſque ſubſequentium

Medicinæ coryphæis, ſummus in arte *Boerhaavius* dedit nobis ſuccinctam deſcriptionem cruditatis, coctionis, criſeos, evacuationiſque criticæ, in morbis acutis, *Inſt.* §. 922, 925, 926, 928, & à 931 ad 940. His, ut per ſe perſpicuis, non immorabor, recenſurus duntaxat quas ipſe *Hippocrates*, quas nos poſt illum, exceptiones in norma generali obſervandas deteximus.

Atque ut ab *Hippocrate* ordiar, obſervavit ille 1°. morborum finem citra criſin, *lib. I. Epid. pag.* 944. tradens illam, quam in Thaſo obſervaverat, conſtitutionem morborum, 20, 40, 80. die judicatorum: » Erant etiam, » *ſubjungit*, quibus ne quidem ſic, » ſed errabundè, & nullâ obſervatâ » judicatione, febres deſinerent. » Eademque in urbe graſſantibus poſtmodum febribus continuis remittentibus, tritaiophyis dictis, notat » ægro- » tantium pleriſque febres abſque ju- » dicatione deſiiſſe. » Praxi medicâ in 29. annum occupatus, necdum potui caſum aut obſervare talem, aut demonſtrare.

Quum ſimile quid, rarò tamen, poſt *Hippocratem* unus notare alterve po-

tuerit, *Boerhaave* prudenter, *Inſt.* §. 931. » In morbis acutis, *ait*, qui in humo» ribus conſiſtunt, diſponitur, ut plu» rimum, certo tempore, materies » morbi ita, ut fiat ſubita mutatio mor» bi in ſanitatem, vel, &c. » Quæri poteſt num morbi, qui citra criſin finiebantur apud *Hippocratem*, ad ſanationem per *benignam reſolutionem* referendi ſint? Verùm quum in reſolutione benigna inter cætera requiratur benigna morbi materies, & in hiſtoria data ab *Hippocrate* materiei perquàm malignæ ſigna obtinuerint, ἀκρίσιμοι illi *Hippocratis* morbi per benignam reſolutionem non explicantur. Eſſetne hæc variarum rationum una, cur *Hippocrates* dixerit *Aph.* 2-19. » Acutorum morborum ὃ παμπαν, » non omninò, non abſolutè, non ci» tra ullam exceptionem, tutæ ſunt » prædictiones ſive mortis, ſive ſanita» tis? » Etenim ſi nihil critici in morbi ſanatione obſervatur, etiam nihil certi Medicus ad præſentem futurumve morbi ſtatum, pronuntiare poteſt.

§. II. Ut morbos deſcripſerat ἀκρίσιμους, ita deſcripſit multos διὰ τέλεος, δι᾽ ὅλου, integrè, judicatos. Sæpè adhuc addit: » Neque morbi eſt facta rever-

„ sio. „ Fatendum tamen est neque unum neque alterum sæpè adjunxisse morbis, quos simpliciter judicatos tradidit, licet & perfectè, integréque, & citra morbi reversionem, essent judicati. Crises tales perfectas nosocomium exhibuit multas.

§. III. Descripsit judicationes cum reversionibus, quæ frequentes admodum ipsi visæ; ita quidem ut *Epid.* 1. *pag.* 956. 957. integram viderit constitutionem, in qua nullus servaretur, nisi post recidivam, reconvalescerentque quotquot relapsum passi essent. Ut *Hippocrates*, ut omnes Medici, ita & in nosocomio nos frequentes relapsus cernimus. Est alia ratio cur *Hippocrates* in laudato mox aphorismo fassus sit, acutorum morborum haud esse tutas citra ullam exceptionem prædictiones. Sæpè sæpiùs cernimus crisin omnibus numeris absolutam, integramque post eamdem brevi redeuntem sanitatem, dum interea primo, altero, tertio, quaternario dierum elapso, morbus idem, aut similis, aut prorsùm alienus, redeat. Contingitque subindè, ut de qua crisi, num perfectam dicas, valdè dubitares, eamdem perfectissimam salutes; quam-

que arbitratus perfectiſſimam eſſes ; hanc doleas fallentem. Ad talia in noſocomio data exempla ipſum hunc aphoriſmum adplicare ſoleo, & unà cum Medicinæ auditoribus prudentiam diſco in danda prognoſi.

§. IV. Judicatos *Hippocrates* vocat, quibus varia tamen incommoda, eademque ſæpè gravia, poſt criſin acciderint, imò quorum nonnullos mors abſtulerit. *Libr.* 1. *Epid. pag.* 956. judicatos appellat, quibus parotides poſtliminio ſuboriebantur ; iiſque nec dimittentibus, nec ſuppurantibus, vel diarrhœa bilioſa naſcebatur, vel dyſenteria, vel craſſarum hypoſtaſis urinarum. *Metonem*, *Epid.* 1. *pag.* 983. judicatum die 5. pronuntiat, cui nihilominùs poſt judicationem pervigilium ac delirium leve nonnunquàm affuit, à quibus non niſi crebriore narium hæmorrhagiâ eſt liberatus. *Ibidem pag.* 986. *Clazomenium* nobis refert die 20. judicio liberatum, qui tamen ad diem 40. multa paſſus, demum manſit amblyops. *Pag.* 958. inter judicatione abſolutos retulerat *Scymni fullonis ancillam*, & *Cratiſtonactam*, quos, licet parotidibus ſuis criticè ſuppuratos, mors dira abſtulit. Sic

etiam videmus apud ipsum morbi crisin in mortem describi. Et *Epid.* 3. *pag.* 1073. *Euryanactis filiam* narrat 6. die judicatam, quæ postea, & ut videtur circa 19. diem, legitur obiisse. Sane si ad constantes judicationes perpetuò addidisset suum *per totum*, suum *omninò*, aut *perfectè*; si ad imperfectas vel nihil addidisset, vel, ut *Epid.* 1. *pag.* 973. morbus judicatus quidem, sed *intermisit* tantùm; historias morborum suorum accuratiùs traditas *fortè* gauderemus.

Haud verò id *Hippocrati* ita visum, idque meritò, est. Exemplo hoc ipso suo prudentem cautelam docuit posteritatem. Dixerat *Aphor.* 2-12. & *quinquies* in *Epidemicis* repetiverat: » Quæ » in morbis post crisin relinquuntur, » recidivas facere solent. » Porrò recidivas aliquando lethales esse demonstraverat. Hinc mos illi perpetuus invigilandi post crisin ægrotis. Crisin esse perfectam ex aliis non noverat signis, nisi rerum post eamdem eventu. Hinc toties addidit ἐὰν ὑπέρξῃ. Debuit ergo suos in ægros perpetuò attentus fuisse, ut vel integra vel imperfecta ægrorum in sanitatem illibatam constantemque restitutio, vel mutatio in

alium morbum, vel recidiva nonnunquàm lethalis, ſibi primò innoteſcerent, antequàm, quam jam criſeos nomine donaverat, vel veram, vel perſonatam duntaxat fuiſſe, aſſeveraret.

§. V. Dixeram ſuperiùs criſes, quæ numeris omnibus videantur abſolutæ, ſæpè minime abſolutas eſſe, & quæ imperfectæ admodum adparerent, has integras fuiſſe rerum conſtare eventu. Quum id in noſocomio toties viſum, operæ pretium erit altiùs, ac præcipuè ex *Hippocrate* repetere.

Cum urinis planè nigris & ſubnigris, ſeu tenuibus, ſeu cum contentis quoque nigris, criſes acutorum morborum obſervamus bonas.

Attamen nihil in praxi medica certius ac teſtatius eſt ſummâ nigrarum urinarum pernicie.

Conſulamus hunc in ſcopum univerſam Medicinam.

Hippocrates in *progn.* » Viris, mu-
» lieribuſque, omnium peſſimæ urinæ
» nigræ, ſicut pueris aquoſæ. Et *Coac.* nº. 580. » Peſtifera autem eſt inter
» urinas & quæ hypoſtaſin habet ni-
» gram, & quæ ipſa quoque eſt ni-
» gra: ſed pueris peſtifera eſt magis
» aquoſa. »

Undè *Hippocrates* describens febres ardentes *lib. I. Epid.* 1. *pag.* 954. à » quibus plerique omnes moriebantur » addit : » Urinæ his erant nigræ, tenues, & paucæ. » Exemplis præterea urinarum nigrarum pravitatem demonstrat. *Pythio in Thaso*, post urinas primò subnigras, deindè nigras, 10. die mortuus legitur, *Epid.* 3. *pag.* 1098. *Mulier in Cyzico* cum urinis nigris tenuibus, deindè oleosis, 17. die periit, *ibid. pag.* 1114. *Mulier in Thaso ad frigidam decumbens*, 80. die interiit, notante sic *Hippocrate*. » Urinæ huic perpetuò nigræ, tenues, » & aquosæ fuerunt. » *ibid. pag.* 1096. *Adolescens in Foro Mendacium* post urinas subnigras obiit 7. die, *ibid. pag.* 1076. *Femina in febre ardente post puerperium* 7. die expiravit, urinis 5 & 6. die paucis, tenuibus, subnigris, *ibid.* 1079. *Philiscus* habet die 3, 4 & 6. urinas nigras, 6. die moritur, *Epid.* 1. *pag.* 966. *Erasinum* mors die 5. abripit post urinas nigras. *Epid.* 1. *pag.* 984. Abderæ, *Apollonius* in mortem incidit 34. die cum urinis, quas *Hippocrates* scribit, ex quo ipsum in morbo viderit, fuisse nigras. *Epid.* 3. *p.* 1111. *Silenus* morbi sui die 11. extingui-

tur, quum toties nigras urinas aliquando cum hypostasi nigra reddidisset.

Hinc *Galenus libr. I. de Cris. cap.* 12. *Charter. tom.* 8. *pag.* 395. » Pessima » igitur est omnis urina denigrata, » adeò ut neminem unquàm servatum » viderim ex iis, qui talem urinam » minxerunt: » Exceptiones quasdam adjungit, sed quæ ad rem non faciant; agit enim *Hippocrates* in his ægris, non de urinarum contentis, sed de ipsa urina subnigra nigraque. Hinc quod *Galenus*, hoc textu, quod *liber Galeno adscriptus de urinis*, cap. 20. quod *liber de urinis ex Hippocrate, Galeno, aliisque* subjunxere: » Minùs » verò pernicioſa est si solum id, quod » subsidet, nigrum fuit; atque adhuc » minùs, si solum enæorema; ac mul» to minùs etiam, si nebula: » hæ, inquam, exceptiones locum hîc non habent, quandoquidem de ipsa urina nigra sermonem facit *Hippocrates*, non de contentis.

Equidem negavit omninò *Galenus* urinam nigram existere posse, quæ simul tenuis esset: negârunt idem cum *Galeno* Auctor *libri de urinis Galeno adscripti*, liber *de urina ex Hippocrate*, *Galeno*

Galeno, *aliisque*, ut & *Theophilus Iatrosophista*, *libr. de urinis*; qui omnes libri apud *Charterium*, *tom.* 8. inveniuntur. Et cur negârunt? Quia causam nigredinis urinarum hypothesis illorum ab atra bile deducebat; quæ quum crassa esset, non posset urinam nigram simulque tenuem exhibere.

Miror *Galeni* aliorumque errorem, miror eorum erga *Hippocratem* irreverentiam. Error est crassum liquorem nigrum non posse aquæ limpidæ copiosæ conciliare nigredinem sic, ut aqua hæc cum nigredine sit tenuis: atramenti enim crassamentum exiguum nigram reddit copiosam aquam, haud ablatâ ejus tenuitate. Hic tamen adeò palpabilis error seducere hos auctores eo potuit usque, ut, quod tot locis vidisse se testetur *Hippocrates*, non suspiciant, imò se simulent ignorare. Undè rectè *Ludovicus Mercatus*, *vol.* 1. *lib.* 2. *pag.* 254. asserit illos omnes urinam nigram posse tenuem esse oscitanter negâsse, toties nigram ac tenuem demonstrante *Hippocrate*.

Duretus, *pag.* 504. in verba Hippocratis: *Pestifera autem est inter urinas*, *quæ & hypostasin habet nigram*, *& ipsa quoque est nigra*: » Pestifera est

» inter urinas, de qua ſperabilis nulla
» curatio eſt febris acutæ, cujus ar-
» dore talis meïendo emittitur. »

Quamvis igitur omnium teſtimonio urina verè nigra lethalis ſit, idque tot confirmârit *Hippocrates* exemplis, videmus tamen & cum iiſdem ſervatos ægros, & unà cum illis criſim bonam factam.

1°. *Metoni* ad 5. diem judicato urinæ ſubnigræ erant, tam ante, quàm poſt criſin. Haud omninò rectè *Hippocratem* intellexiſſe *Foëſius* videtur, dum *de Metone* ſcribit: » urinæ iſtæ
» nigricantes, etſi taceat *Galenus*, non
» ſine magnæ naturæ efficacitate, po-
» tuerunt eſſe ſalutares, ut in acutis
» morbis contingit, qui per urinas
» judicantur, ut multas pleuritides ju-
» dicatas ſcimus per urinas nigras,
» *craſſas tamen*: & quæ ſolent urinæ
» nigræ ſalutares eſſe, ferè craſſæ ſunt;
» *tenues* lethales. „ Etenim ſubnigras urinas, earumque ſubnigrum enæorema *Hippocrates* refert ante criſin fuiſſe, ergo non craſſas, utpote in quibus enæorema non apparet: poſt criſin verò urinarum cum tenuitate nigricantium diſertè meminit.

Epid. 3. pag. 1108. *Mulier in Thaſo*

auſtera & aſpera habuit ad diem tertium urinas nigras ac tenues, cum enæoremate valdè rotundo; eademque nocte perfectè judicata ſudoribus eſt, & catameniis.

Epid. 1. *pag.* 974. *Herophon*, poſt nigras tenueſque urinas, eſt judicatus imperfectè die 9. perfectè autem 17.

Epid. 3. *pag.* 1106. *Heropytus* urinas nigras habuit, & tandem convaluit.

Epid. 1. *pag.* 979. *Epicratis uxor* judicata eſt poſt urinas tenues, ac ſubnigras.

Epid. 3. *pag.* 1108. *Nicodemus* 24. die, integrâ judicatione abſolutus eſt, poſt urinas tenues ac nigras.

Igitur ſex exempla apud *Hippocratem* proſtant ſervatorum ægrorum, quibus urinæ aut ſubnigræ aut nigræ fuere: & quod ipſe, idem alii magni practici obſervârunt.

Si *Galenum* per ſeipſum explicare debemus, etiam ſic cenſuiſſe reputandus eſt. Ipſus enim, qui dixerat, ut vidimus, eorum, qui in acutis nigram urinam minxiſſent, ſe ſervatum vidiſſe neminem, ille ad caſum *mulieris auſteræ & aſperæ*, ait: » Urina licet eſſet nigra, nihil attulit pericu-
» loſi: quod retenti menſes eſſent magis

» melancholici. » Imò *in comm. ad mulierem quæ ad frig. aq. in Thaſo decumbebat.* » Quamdam novi, inquit, » quæ talibus (nigris) urinis magnâ » copiâ evacuatis, ἀφεληθεῖσαν, opem » perceperit. »

Proſper Alpinus, *lib.* 7. *cap.* 14. *de Præſag.* non malas urinas eſſe nigras judicat, ſi cum copioſa hæmorrhagia narium, ut in *Metone*; aut cum largis catameniis, ut in *muliere auſtera*, obſervantur.

Ludovicus Mercatus laudato mox loco: » Tamen ad ſalutem, (*inquit*,) » aut ad mortem prædicendam, non » eſt ſolùm nigra urina conſideranda, » ſed alia ſigna ſalutaria, aut delete- » ria, adjungere oportet, & inſpi- » cere an benè exeant, vel malè. Nam- » que diffidendum non eſt interim » dum virtus conſtat, ut ſtatuit *Avi-* » *cenna*; quantumvis ab omnibus uri- » na nigra lethalis habeatur. »

Proſper Martianus in *Coac.* n°. 580. commentatus, *Mercati* ſequitur ſententiam. *Vide pag.* 606. *edit. Rom.* 1626.

Hinc *Cl. Rega*, *Diſſ. de urinis ut ſigno* » in æſtate anni 1727. (*ait*,) vi- » di ego hîc *Lovanii* duorum ægrorum, » qui adhuc ſuperſtites ſunt, urinam

„ per plures dies atram valdè, cum „ ſedimento quoque nigro. „ Non addendo autem utrum acutè an chronicè hi laborârint, minùs fortè probant bina ejus exempla, ut patebit mox.

Sed *Plempius, fund. lib. 5. ſect. cap 5.* in acutis malignis nigram urinam quandoque criticam ſalutat.

Porrò inquirendum eſt, cur uno tempore omnis denigrata urina abſolutè lethalis habita fuerit, alio tempore minùs fuerit?

Hippocrates rarò ratiocinando, ſed ſimpliciter paſſim phænomena enarrando, parùm quoque hîc explicat; niſi quod in febre ardente epidemica, de qua ſuprà actum, narret & pleroſque in ea febre urinas nigras habuiſſe, & pleroſque periiſſe: tum in hiſtoriis variorum ægrorum ſuorum, qui nigra minxerint, aut labores nimios, aut calores ardentes, aut victum pravum aut bacchum, veneremve, morbi inter cauſas recenſeri oportere: denique in nonnullis humores melancholicos eſſe conſiderandos.

Numquid hinc celebris illa nata diſtinctio, quam poſt *Galenum* omnes magni ſcriptores practici foverunt,

qua cauſas urinarum nigrarum partim deducerent à cruore per violentiam febrium exuſto, partim ab ipſo humore atrabiliario, qui quidem ante morbum exiſteret, vi autem morbi validâ moveretur, miſcereturque humoribus? Saltem eo collineant omnes, ut nigram urinam ſemper quidem periculoſam valdè exiſtiment, longè verò pernicioſiorem illam, quæ à corrupto, & exaſſato per ardores ſanguine, quàm quæ ab humore melancholico orta ſit, pronuntient: & quum menſtruum ſanguinem retentum ſolerent melancholicum fieri credere, hinc *Galenus* in *Comm.* ad *Mulierem moroſam* ſupponit, ipſi urinas nigras minùs noxias fuiſſe; quale quid cum ipſo cenſet *Duretus*, *edit. Lugd. Bat. pag.* 498.

Attamen motu humoris atrabiliarii in acutis *Hippocrati* nihil pernicioſius viſum. Paſſim in *Coacis*, in *Prorrh.* in *Aphor.* id videre eſt. *Vid. Aph.* 4-22, 23, 24.

Sane ſi videamus eorum qui, narrante *Hippocrate*, ſervati ſunt, hiſtorias, exceptâ *muliere aſperâ & moroſâ*, habuere omnes poſt criſin aut perfectam aut imperfectam, prava ſympto-

mata varia, criſes perfectiores, nigrarum urinarum in colorem meliorem mutationes, alias excretiones ſalutares. Undè etiam *Hippocrates*, *Coac.* 577. & in *Progn.* vel ſolas nigras lividaſque urinarum nubeculas damnavit; & *Prorrhet.* 1. n°. 4. inter alia phrenitidem ex urina decolori cum nigro enæoremate præſagiit; dein *Coac.* n°. 581. lethale pleuriticis dixit ſedimen nigrum in urina porracea, & demùm *Coac.* 582. » In errantibus febribus nigræ nu-
» beculæ quartanam denuntiant; de-
» colores urinæ enæorema nigrum ha-
» bentes, cum pervigilio, & pertur-
» batione, phrenitidem; urinæ cine-
» ritiæ verò cum dyſpnœa, hydropem
» prænuntiant. »

Undè quod *Proſp. Alpinus*, quod *F. Plempius*, aliique, ejuſmodi urinas nonnunquàm criticas appellârint, id ſecundum *Hippocratem* & celeberrimos ejuſdem commentatores, haud aliter capimus, intelligimuſque, quàm quod in his ægris, criſeos tempore, unà cum nigris urinis, apparuerint hæmorhagiæ narium uterive, ſudores, &c. qui morbum aut integrè, aut imperfectiùs judicantes, ſimul indomabile illud, & vix coctile, lethiferum-

que per seſe, de corpore expulerint: pari profectò ratione, qua petechiæ & miliaria, dum cum aliis evacuationibus prorumpunt, critica quibusdam vocantur.

Exceptionem quidem auctores petunt chronicis in morbis, dum hepar, lien, aliæve abdominis partes, suâ atrâ bile, crisēos in morem, exonerent seſe, vel dum melancholicorum intermittentes febres nigris judicentur urinis. Fateor & tales formidandas me crises vidisse, optâsse verò ne viderem unquàm. Qui historiam bilis atræ ex *Hippocrate* benè possidet, propriâque praxi demonstratam tenet, ille demùm novit quid non timendum sæpè ab atra bile mota, & quod etsi aliqui fortunatiores emergant, post ejusdem expulsionem validam, vomitu, alvo, urinis; ejusdem motus nihilominùs sit perpetuò formidandus. Ideò *Hippocrates*, & cum flore practicorum, *Boerhaavius*, adeò anxiè ac sollicitè inculcârunt nobis, ut de movendâ bile atrâ ne cogitaremus quidem, donec eamdem sic primò immutâssemus, ut talis haud ampliùs esset, neve unquàm prodiret foras, nisi sic mutata, mitigata, soluta, attenuata, di-

lutaque foret, ut antiquæ naturæ plurimùm depoſuiſſet. Verbo repetam, ſi in melancholicâ quartanâ febre urina nigra critica dicenda ſit, criſin hanc infidam ſic gaudent practici prægreſſam, ut formident futuram; eamque ob cauſam quartanam talem cortice, cæterum contrario, moderentur ſic, ne bilis atra in motum ducta occidat.

Difficultatem contra hanc ſententiam movere quis poſſet ex obſerv. *C. Piſonis, lib. de Coll. ſer. ſect. 3. cap. 9.* Agens hic auctor de colica pictonum, & de ea colica nephritica, quæ pictonicæ perquàm ſimilis, bonas ſe narrat obſervâſſe urinas, quæ ſic atræ eſſent, ut ni quis attentè conſpexiſſet, à nigro ſanguine tinctas credidiſſet, tumque ſubjungit: » Ejuſmodi urinæ atræ mihi » ſanè olim fuerè in autumno fami- » liares, & per pluſculos dies, vel » etiam quindecim, aſſiduæ: ſed ferè » iis poſt aliquot dies dolor nephriti- » cus, à me deſcriptus, ſucceſſit. Alias » quum nullam aliam injuriam iis ſuc- » cedentem expertus eſſem, plurium » ægrorum deinceps poſtea querelas » ſuper iis compoſui, & animi anxie- » tatem, earum occaſione obortam, » longè faceſſere juſſi. » Hinc quiſ-

quam fortè concluderet urinas nigras tam peſtiferæ naturæ minime eſſe, quàm hucuſque deſcriptæ ſint.

Sed regero 1°. ſummas eaſque multiplices auctoritates pro ſententiâ de harum pravitate urinarum laudatas, unicâ hac obſervatione *Piſonianâ*, eâque omninò extraordinariâ, non elidi. 2°. Ex ipſo *Piſonis* textu ambiguum fieri an verè nigra ejus urina fuerit? Et an non potiùs ſic nigredinem retulerit, qualem toties in chronicè nephriticis contuemur, quæ à ſanguine commixto penitùs videatur nigreſcere, quamvis non ea, de qua hîc agitur, urina nigra ſit. Calefacta urina differentiam demonſtrat. 3°. In renibus ac veſicâ urinariâ, ut & in omnibus ſive naturaliter cavis, ſive præternaturaliter excavatis, corporis partibus, ejuſmodi humorum aut ſolidorum degeneres mutationes ut conſiſtentiâ, & formâ, ita & colore, nos experiri, cujuſmodi circulatio humorum non toleraret, ſed à quibus extingueretur: nihilominùs degeneres has conditiones longo ſæpè tempore tolerari, quia extra circulationis veluti territorium ſunt. Hoc modi vidi in chronica nephritide, vidi in dyſuria,

ſic alkalinam prodeuntem urinam, ut mictionis momento vehementer effervesceret cum aceto. Sic *Piſonis* nephritici urina, non atra de ſanguine ſecreta, ſed corruptum atque atrum tranſeuns antrum, atra reddi potuit.

Ergo, quo ad theſin propoſitam redeamus, criſin quandoque fieri bonam cum urinis, & *Hippocratis* & auctorum practicorum penè univerſorum teſtimonio, vel abſolutè per ſe lethalibus, vel ſaltem ſummopere periculoſis, diſcimus.

§. VI. Quod de urinis nigris vidimus, idem innumeris in ægris noſocomii noſtri obſervamus de urinis tenuibus, de urinis fœtidis, de urinis bonam nunquàm gerentibus hypoſtaſin. Cernere è contrario datur in ſumma acutorum cruditate vel alvum quæ naturalis ſit, aut etiam quæ flava ac pultacea conditione critica dici queat; vel urinas perpetuò hypoſtaticas, interea dum capit morbus augmentum, immò dum tendit in mortem; vel in inflammatoriis morbis pectoris ſputa cruda, cum alvo urinaque adeo coctis, ut morbus indè judicatione integrâ abſolvatur; vel reſpirationem bonam, cum perpetua morbi cruditate, vice-

que versâ ſigna quævis coctionis cum reſpiratione ferè deſperata.

In hiſce difficultatibus pro more ad *Hippocratem*, ceu ad ſacram anchoram, confugere, antequàm diagnoſin ac prognoſin formemus, ſolemus, examinaturi quid circa hæc obſervaverit ille, quî in hiſce ſe geſſerit?

Epid. 7. *pag.* 1208. 1209. in hiſtoria *pueri Eratolai* dyſenterici miramur terribilia tot ſymptomata, graphicè ibidem deſcripta, unico in homine poſſe contingere, ab homine poſſe tolerari, poſſe poſt tot tantaque eumdem ſaneſcere hominem. Aſt in media enarratione *Hippocrates*, interrumpens filum orationis, jubet attendamus ad id, quod πνεῦμα ὁποῖον ὑγιαίνοντι, reſpiratio haud aliter ipſi, quàm ſano homini ſolet, contigiſſet.

Ibid. pag. 1212. 1213. *Cydis* ſive *Cydios filium* legimus morbo terrifico, diuturno, affectum, & (quia neque de morte, neque de alio morbo ulla mentio,) ſanitati reſtitutum. In tanta calamitatum pravitate unicum notat memorabile: » πνεῦμα δὲ ἐπιείκως διὰ » παντὸς μέτριον: Reſpiratio per omnia, » ferè ſemper, erat moderata. »

Dixerat in *Prognoſticis*, ſæpiúſque

repetiverat: » Oportet considerare res-
» pirationem vim habere magnam in
» cunctis morbis acutis. » Undè adeò sollicitus fuit respirationis modum plerorumque ægrorum suorum, ac pravæ maximè in lethalibus, enarrare. Hinc quandiu bonam respirationem cernimus ægrotantium, concludimus spem vitæ magnam supereſſe, quod aut illibata, aut perpaucùm læsa tantùm, innumera organa esse oporteat, à quibus vitæ dependeat perennitas, quodque cruditatis etiam summæ coquendæ spes bona affulgeat. Hinc nunquàm desperabundi? Nunquámne tristis est facienda prognosis? Non tristis, sed utcumque dubia tamen. Vel enim nobilis hæc functio perennando universam morbi cruditatem emendatura, coctura, expulsura est, sanitatemque redditura; vel, copiâ ac malignitate crudorum humorum auctâ, functio bonæ respirationis lædetur, ac delebitur, undè mors: quandiu verò bona manet, bonam spem format.

Hipp. Prorrh. n°. 102. » Qui sopore
» oppressi, circa initia tenuiter exsu-
» dantes cum urinis coctis (ὑγροισι πέπτοις)
» ardentes, citra judicium perfrigef-
» centes, rursùm ex brevibus inter-

» vallis peruruntur, torpidi, ſoporoſi, » convulſi, perniciem habent. »

Galenus, qui bonis urinis nimiùm ubique fidit, voluit pro τὸ ξηρὸν πέπον, legere ἐπίπονον: ſed 1°. omnes ferè auctores hîc ſe *Galeno* opponunt, dicentes lectionem eſſe genuinam τὸ πέπον; addunt quidam, ut *Jacotius*, ſe in moribundis coctam, imò hypoſtaticam, vidiſſe. 2°. Quod *Hippocrates* hîc, idem ſignificat *Coac.* 180. verbis iiſdem, & convenit cum ſenſu *Coac.* 579.

Quod *Hippocrates* in hoc loco notat de bonitate urinarum in ſummâ morbi pravitate; quod *Jacotius* in peſſimo morbo de urina hypoſtatica obſervat; idem in juvencula brevi ante mortem cum peſſimis morbi ſymptomatibus per plures dies obſervavi.

Epid. 2. *pag.* 1015. *Bion* eodem tempore & crudas habuit urinas multas, & criticam naris ſiniſtræ in ſplenitide hæmorrhagiam; relapſum licet deinceps paſſus, ſervatus eſt.

Vidit *Hippocrates*, *Coac.* 582. diuturno tempore crudas urinas, cum cæteris omnibus ſignis ſalutaribus, tam frequenter, ut auſus fuerit regulam indè condere criſin per abſceſſum prædicendi.

§. VII. Attamen ab alia parte ad firmam prognoſin, certamque ſalutem urinas cum cæteris bonis ſignis bonas paſſim requiri ab *Hippocrate* eſt certo certius.

Pro parte id jam vidimus in tot hominibus, qui poſt urinas nigras „ ſubnigraſve, perierint; pro parte id docebunt ſequentia: *Coac.* n°. §75. „ Urina in febribus album & leve „ ſedimen habens, celerem liberatio„ nem denuntiat. „ Proſequitur deindè reliquas bonas urinæ conditiones in acutis requiſitas; maximè verò fortunatam acutorum curam præſagit ex varia urinarum bonitate in magno textu *libr. Progn. pag.* 40. Undè ad mortem *Hermocratis*, *Epid.* 3. *pag.* 1062. addidit. „ Huic ad uſque finem & ſurditas „ permanebat, & urinæ prodibant „ vel turbidæ, rubræ, non ſubſiden„ tes, vel albæ, non coloratæ, nec „ enæorema habentes „ Quæ ibidem „ *pag.* 1076. mortua legitur *iliaca mulier*, hanc notat paucas habuiſſe renueſque urinas. Idemque, *pag.* 1077. in *mulieris poſt abortum febricitantis*, deinde mortuæ, hiſtoria advertit. *Epid.* 5. *pag.* 1080. *Mulier in foro Mendacium*, quæ die 14. mortua eſt, minxit die 8. mul-

tum craſſumque inſcia, die 10. mane multum ac nihil ſubſidens. Et *pag.* 1083. in graſſante morbo, quæ multos ſternebat, lotium perturbatum fuit, multum atque pravum. *Pag.* 1085. in peſſimo genere febris ardentis, ac phrenitidis: » Urinæ co-» pioſæ, tenues, nec critici quid, » aut levantis, habentes. » Et paulò poſt: » Vel enim denſæ erant, vel » nullo modo habentes aut coctiones, » aut utiles purgationes. *Pag.* 1001. » *Homini calvo*, ad 4. diem mortuo, » copia urinarum prodiit, nunquàm » bonarum. » *Pag.* 1100. Illius qui 4. die *phrenitide perierat*, » urinæ te-» nues fuerant, parva enæoremata ha-» bentes, διεσπασμένα, divulſæ, non » ſubſidentes. » *Pag.* 1093. *Pario* ad 120. diem mortuo urinæ fuerant perpetuò malæ.

Memorabile quoque magnum virum, *lib. I. Epid. pag.* 953. ſuſpicari ne *Bioni*, *Cratiæ*, *Aretonis puero*, & *Mneſiſtrati uxori*, ideò poſt prægreſſam judicationem dyſenteria fuerit ſuborta, quod poſt judicationem urinas reddidiſſent dilutas multas, liquidas, ac tenues.

§. VIII. Porrò hæc ita, quemadmo-

dum jam monui ſuprà, non ſunt intelligenda, ac ſi ob ſolius urinæ pravitatem, ſedimentique defectum, *Hippocrates* deſperatas credidiſſet ægrorum res; verùm propriè tunc, quando, unà cum urinæ vitiis, cruditatis notabilioris indicia in excretionibus reliquis, & præprimis in vitalibus aderant functionibus: erat enim perpetua ſibi & inviolabilis lex haud judicandi unquàm ex unico ſigno, ſed ex multorum collectione, ut patet ubique. Hanc Coï immortalis legem & nos obſervantes, nunquàm boni quid ad lectos ægrorum præſagimus, ſi multa alia pravæ ſigna pravas comitentur urinas: nunquàm ſpem ſinu fovimus, ſi unà cum optimâ urinâ, & quidem conſtanter hypoſtaticâ, alia ſigna pernicioſa, functionum potiſſimùm vitalium læſarum, animadvertantur. Quod autem de urinis, hoc quoque de aliis quibuſcumque ſignis ſive cruditatis, ſive coctionis, dictum velim. Et è contrario quotieſcumque in laterum pulmonumve inflammatione cum ſputis aut nullis, aut pravis, aut paucis, bonâ alvus ſeu ſola, ſeu bonis ſociata urinis, levaret pulmonem, vireſque repararet collapſas, nunquàm progno-

ſin infauſtam formavi, lætique mecum Medicinæ ſtudioſi plurimos pectore inflammatos vel ſine ullis bonis ſputis, vel cum bonis duntaxat poſt criſin prodeuntibus, egregiè curatos ſalutârunt. Sed bona alvus, & probè hypoſtatica urina nunquàm inani ſpe animos lactaverunt noſtros, quando partes alias, eaſdemque nobiliores, cruditate notabiliore laborare cernebamus. Pariter egimus ad inſolita: haud parciùs enim laudavimus illa, modo prodeſſent, quàm ſi conſuetas ſuas obſervaret Natura leges. Præiverat exemplo *Hippocrates* ſuo. *Epid.* 1. *pag.* 951. Noverat conſuetâ lege febres ardentes ſolvi ſudore, alvo, urinis, hæmorrhagiis; aſt didicit tamen poſtea eos qui urinas aut nihil aut parum modo hypoſtaticas, & plerumque dilutas admodum reddidiſſent, modo inſolito dyſenteria curari. Rarior ſane pleuritidis per ſudores judicatio; *Anaxionem* tamen, *libr. I. Epid.* licet 27. die cocta ſputa ejiceret, legimus nihilominùs perfectâ judicatione non fuiſſe abſolutum, niſi largis, qui de toto corpore, ad 34. morbi diem profluerent, ſudoribus.

Equidem *Carolus Piſo* de *Coll. ſer.*

sect. 3. *cap.* 9. putavit haud insuetum esse ut sudores pleuritidem judicent, idque se in pleuritico cive *Pontano* observâsse, quin imò *Hippocratis* id se auctoritate confirmare posse. Verùm legitimam hanc *Pontani* civis pleuritidem fuisse & ipse postea, *pag.* 254. dubitavit, & nos dubitamus cum illo; deindè quem laudat *Coacarum* 393. textum, is haud videtur nobis id, quod ipsi, significare, nisi alio sensu & modo. » In his igitur, ait *Hip-*
» *pocrates* ibidem, & omnibus qui
» pulmonum affliguntur morbis, bo-
» num quidem est facilè morbum su-
» stinere, dolore defungi, sputum
» promptè expuere, facilè spirare, siti
» esse vacuum, reliquum corpus æqua-
» liter incalescere, ac molle esse. Ad
» hæc somnos, sudores, urinæ eductio-
» nem, laudabiliter fieri; quibus con-
» traria mala sunt. Quandocumque
» ergo bona hæc omnia huic sputo
» (quod mox ante descripserat opti-
» mum) adfuerint, homo servabitur. »
Clarum est sudores hîc ab *Hippocrate* laudari, & alvum bonam, bonasque urinas, sed tamen sic, ut sputa morbum præcipuè judicent, id quod non ita in *Anaxione*; licet laudabilia sputa

ad 27. diem ejeciſſet, eguit tamen ad judicationem abſolutam ſudore 36. diei.

Hæc nobis animo præſentia, multa utique dubia levant, multa etiam quæ certa credideramus, dubia reddunt, artiſque genuinos obſervare terminos docent; quæ tantummodo verè certa pro certis, pro incertis ac dubiis dubia tradit. Sic ſcilicet hæc nos docent plures exceptiones, ſeu naturæ à conſueto tramite aberrationes, ut muniti quidem ſimus, dum occurrunt nobis, aſt nihilominùs ad conſuetas ejuſdem leges nos indeſinenter conferamus, niſi nos illa, vi phenomenωn aliorum, cogat exceptionem à regula ſua generali agnoſcere.

Suo iterùm exemplo id docuerat admirabilis per omnia *Hippocrates*. Ecquis viri in arte certitudinem & fiduciam non ſtupeat, dum animo meditantem ſuper conſuetas naturæ vias, *Epid. 7. pag.* 1229, illum cernit! *Fullo in Syro*, præter alia prava ſymptomata, urinas poſuit citra ſedimen limpidas, & citra evacuationes criticas ullas; & ad diem 18. certè non criticum, judicatur. Stupefactus primo titubat *Hippocrates*, & quî demùm hoc portentum

explicet, anxio animo volvit. Eâ occasione *Nicoxeni* recordatus, qui quoque citra sudores aliasve evacuationes, die 7. sic judicatus esset, ut bellè sumeret suas sorbitiones, suum vinum, suas uvas insolatas, sed quem 17. die deprehenderit in pessimâ post crisin tam infidam recidivâ, ut ab ea illum non nisi magnos post labores die 20. servâsset, & sanâsset; intelligit ejusmodi criseos perfidiam, eaque probè confirmatam videt perpetuam suam experientiam: sed eo minùs, cur *Fullo* in sanitate perseveret, capit. Tandem incidit ipsi in mentem, quod *Fulloni* enema ex *thapsia* paratum injectum sit, rogatque num forsitan paradoxi causa lateat in eo, quod alvus enemate sæpiùs mota, morbi eduxerit materiem? sicque febris citra ullas evacuationes alias, rariore cæterum diei minime critici exemplo, judicata sit? Alvum non videtur conspexisse, firmiorem sententiam alioqui prolaturus.

Quod porrò *Coüs*, non nisi ejusmodi conjecturâ arreptâ, hoc problema solvere se credit posse, nos convincit de ejus observationum certitudine inconcussâ, doctrinæque æternitate. Simulque fateor, inter tot naturalium

legum exceptiones, me nunquàm in acutis, in quibus resolutionis benignæ spes nulla esset, neque in privata praxi, neque in publica, quemquam sine quapiam evacuatione judicatum vidisse; eamque ob causam semper & prædixisse, & eventu confirmâsse, aut recidivas, aut alios morbos, aut mortem, si casus talis observaretur.

§. IX. An idem judicandum, ac metuendum, si morbus acutus citra ullas evacuationes, præter eam hypostaticarum urinarum, judicatus esset? An verò, etiam cæteris evacuationum criticarum feriantibus organis, solæ urinæ sic omnem morbi materiem criticè eliminare queant, ut tutâ sequatur integraque judicatio?

Profectò rariores sunt casus, in quibus morbi acuti per unicam modo excretionis viam planè judicentur; adeóque, quemadmodum frequenter non contingit, ut cæterarum evacuationum unica duntaxat totam morbi materiem eliminet, ægrumque perfectâ judicatione absolvat; ita quoque frequens ea urinarum non erit. Veram tamen crisin acuti morbi ut olim in praxi, ita in nosocomio vidi; sic quidem ut cæteræ excretiones aut na-

turales omninò essent, aut plus minus cruditatem redolerent; urinis verò hypostaticis constanter emissis morbus levaretur, reliquæ excretiones emendarentur, & perfecta sequeretur judicatio.

Hoc idem *Hippocrati* sic visum esse ejus opera arguunt. *Epid.* 1. *pag.* 955.

» Atque in hoc statu (febris ardentis)
» ex quatuor maximè signis servaban-
» tur hi, quibus aut ex naribus san-
» guis profluxisset, aut copiosæ urinæ,
» quæ multam eamdemque pulchram
» hypostasin haberent, per vesicam
» exivissent, aut qui per alvum tur-
» bulenta biliosa tempestivè demitte-
» rent, aut qui fierent dysenterici.
» Multisque contigit ut non ab uno
» horum descriptorum signorum judi-
» carentur, sed ut plurimi per omnia
» decurrerent, graviusque habere vi-
» derentur. Sed hi omnes, quibus ista
» contingerent, incolumes evaserunt.
» Mulieribus etiam & virginibus con-
» tingebant quidem hæc præscripta
» signa omnia; quibus autem horum
» quidquam benè fieret, vel mulie-
» bria liberaliter apparerent, per hæc
» servabantur & hæc judicabant. Nec
» periisse ullam novi, quibus horum

» quid benè succesſiſſet. Nam *Philonis* » *filia*, quum liberaliter ſanguis de » naribus fluxiſſet, ideò mortua eſt, » quod 7. die, (quo judicabatur,) » intempeſtivè utique, cænâſſet. »

Epid. 2. *pag.* 1027. Metaſtaſes ex imperfecta criſi futuras expectat, niſi urinæ eruperint. Ergo credidit morbi materiem, quæ in corpore reſtitaverat, criticè excerni urinis poſſe.

Ibidem in *Scopi* acuto morbo, ut etiam *pag.* 1085 & 1056. vocat urinæ hypoſtaſes *corporis in morbis purgationes.* » ἔρρε κάθαρσις πολλὴ, inquit ἢ » πληθει, ἢ ὑπόστασει. Urinarum purga- » tio multa erat, tum copiâ, tum » ſubſidentiâ. » damnatque urinas » nec » coctiones, nec probas purgationes » habentes » laudat illas, quæ probæ » eſſent per veſicam expurgationes. »

Epid. 1. *pag.* 956. » Quibus febre » judicatoriè deſinente parotides, in » febribus cum dolore ſubortæ, neque » conquieſcunt, neque ſuppurantur, » eos diarrhœa bilioſa, vel dyſenteria, » vel craſſarum urinarum hypoſtaſis li- » berat: quale quid *Hermippo Clazome-* » *nio* evenit. » Videmus iterùm urinas hypoſtaticas dignitate & præſtantiâ criticâ certare cum alvi criticis evacuationibus.

Epid. 4.

Epid. 4. *pag.* 1121. » Hæmorrha-
» giæ erant, & per urinas purgatio &
» criſis. Αἱμόρροοι, καὶ ἔρροσιν ἡ κάθαρσις,
» καὶ ἡ κρίσις. «

Ibid. pag. 1131. » diſertè affirmat
» *Menandri vinitori*, cui alvus circa
» initia liquida fluxerat, nunc verò
» ſubſtiterat, per ſolam urinam judi-
» cationem contigiſſe. Καὶ τὸ ἕρον ἐκρίθη. »

Epid. 3. *pag.* 1083. deſcribens ma-
lignum in febribus eryſipelas, in peſſi-
mos artuum pudendorumque abſceſſus
abeuns, » illud verò ipſis inerat, *inquit*,
» ut quæcumque abſceſſum facerent ad
» ſuppurandum, ſi vel tempeſtiva,
» opportuna, alvi perturbatio, vel
» probarum urinarum tranſmiſſio fieret,
» per ea ipſa ſolutio procederet. »

Undè & *Aphor.* 4. 74. ſtatuit à fu-
turis alioquin in morbo abſceſſibus
ægros urinam, quæ craſſa reddatur
albaque, liberare; liberationem verò
hanc citiùs contingere, quando ab-
ſceſſuum futurorum materies duplici
viâ eliminetur, nariuum hæmorrhagiâ
& urinâ. Igitur pari paſſu urina pro-
cedit hîc cum hæmorrhagia, ut pau-
lo ante cum criticâ alvo.

Coacarum 575. „ Urina ſubrubra,
„ habenſque ſubrubram hypoſtaſin,

„ atque lævem, si quidem ante se-
„ ptimum diem fuit hujusmodi, septi-
„ mo die (aut septimam febrem)
„ solvit : ἑβδομαῖον ἀπολύει. „

Aphor. 7-54. crisin iterùm certam declarat urinis dicendo : „ His per „ venas in vesicam pituita versa, mor- „ bi fit solutio : „ Hunc aphorismum *Duretus* vocat gravissimum super urinæ materie, & super crisi per eam susceptа & edita.

Coac. nº. 207. „ Ex acutis morbis „ in febribus ardentibus maximè tu- „ bercula ad aures exoriuntur, ac „ nisi criticè solvantur, & mature- „ scant, aut sanguis ex naribus pro- „ fluxerit, aut urinæ crassam hypostа- „ sin acceperint, ægros interimunt. „ In quem textum *Prosper Martianus* advertit *Hippocratem* in *Prognosticis* laudare in acutis mitioribus urinam hypostaticam per omne morbi tempus, non qua signum coctionis, sed qua signum mitissimi morbi, & materiei benignioris, *undè morbi solutio evenit per solam ejusdem urinæ excretionem :* Criticas deindè urinas non differre ab ea libri prognosticorum, nam eos referens *Hippocrates* modos, per quos febres solvuntur, urinam concoctam

appoſuit, inferens ſolam urinæ coctionem *abſque alia evacuatione*, ad morbi ſolutionem facere. Et quid clariùs in hanc rem dici poteſt, quàm dixit *Hollerius*, *lib. 3. ſect. 3. Coac. pag.* 1047. „ Atque aliquando judicari » pleuritides multâ urinâ & biliosâ » mictâ ſcripſit *Hippocrates*. Et nos vi- » dimus pleuritides graves diſſolutas » urinis multis, craſſis, & nigris; » conversâ, *ut ſenex ſcripſit*, deorsùm » materie: quod certè minùs mirum » videri debet, quàm peripneumonias » urinis ſolvi. » Et *pag.* 824. » Pus in » pulmone effuſum, à natura attenua- » tum, tranſmittitur in venas, & ar- » terias; atque hinc modò ad renes, » modò ad inteſtina, dimittitur: mi- » rabili naturæ providentiâ, omnia » moliente, ut ſalutem ægro quærat. »

Eumdemque in locum *Jacotius*: » Ex » quo fit, ut per urinas pulmonis vo- » micæ criticè expurgari poſſint. »

Et *Proſp. Alpinus*, *lib. 6. cap.* 16. » Per urinas plures acutorum mor- » borum fuiſſe judicatos & nos vidi- » mus, & *Hippocrates* in *Epid.* ſe vi- » diſſe ſcripſit. » Addit deindè ex *Galeno* ſigna, quibus criſis per urinam futura prænoſcatur, ſi nempè deſunt

ſigna omnis cujuſque aliûs evacuationis futuræ; poſtea ſigna à ſe obſervata adjungit, ubi præter ſigna *Galeni* ponit morbum non admodum eſſe vehementem, hypogaſtrium grave ac dolens, & in veſica veluti inflationis perceptionem.

Undè rectè *Jacotius*, in *libr. IV. Comm. Coac. pag.* 240. urinam ſic criticam conſiderat in ſua natura, ut ipſa ſputa pulmone ejecta.

Et *Boerhaave*, §. 1016. *Inſtit.* ubi n°. 1. quamdam hypoſtaticam urinam toto morbi tempore emiſſam conſideraverat, veluti indicium optimumque morbi præſagium; deinde n°. 2. » Urina multa, *ait*, alba, ſtrangurioſa, » cum ſedimento copioſo alboque critico tempore emiſſa, ſanat, & » abſceſſus tollit. » Etiam § 938. omnes criticas evacuationes recenſens, ſputa, alvi fluorem, urinam, hæmorrhagias, &c. urinam iterùm ut paris ad criſin efficaciæ & dignitatis, quàm ſputa, quàm alvi fluorem, quàm hæmorrhagias, conſiderat.

Jure igitur concludere videmur, exiſtente inter ægros noſtros eo quandoque caſu, ut præter urinam criticam nulla prorſum alia evacuatio con-

tingat, non minùs fauſtam prognoſin dandam eſſe, cæteris paribus, quàm ſi in aliis, aut per ſolum ſudorem, per ſolam hæmorrhagiam, aut ſola ſputa, aut alvum, morbi expellatur materies.

§. X. Quum ex omnibus hucuſque dictis pateat, quod ad criſin bonam determinandam oporteat dies morbi accuratè notare, adeóque morbi principium exactè definire; haud citra difficultatem id efficere ſæpè non poſſumus. Non rarò namque apud multos, potiſſimùm plebeïos, contingit, ut, ſeu ingenio, ſeu morbo, ſtupidi, ignorent qua die, qua diei horâ, primum morbi experirentur inſultum, & ut quotieſcumque de integro examinentur, vacillent. Ubi nunc ab eorum conſanguineis, neceſſariiſve, id reſcire non datur, res dubia manet. Hi tamen numero ſunt pauciores. Dantur autem numero plures, qui initia morbi exactè teneant, ſed ubi dubites utrum cum incommodis principio perceptis acuta, qua laborent, febris una occeperit, an verò acceſſerit poſtmodum. Laſſitudines ſpontaneæ paſſim adfuere; ſed hæ, *Aphor.* 2-5. æquè morbos futuros denuntiant, quàm

præsentes. Dolores capitis artuumque, inappetentiam, nauseam, haud minùs acutos morbos præcedere, quàm comitari, docent nos ægri, qui ab ipso nos convocantes principio, hæc symptomata sæpè ante primum febris insultum patiuntur. Ambigui itaque sæpè hærentes in nosocomio, oraculum pro more consulimus.

Epid. 3. *pag.* 1106. *Herophytus* rectus incedens, ὀρθοςάδην, & obambulans, capite autem dolens, videtur jam à principio febricitans ab *Hippocrate* credi, ex symptomatum, quæ à principio cephalalgiam concomitabantur, syndrome.

Sed *ibidem pag.* 1111. *Apollonius* videtur diutiùs ante febrim malè habuisse, erectus licet & obambulans; acutæ autem febris initium non habuisse, arbitro *Hippocrate*, nisi quando per intempestivum potum, intempestivumque carnis bubulæ esum, inciperet incalescere.

Mulier in Thaso morosa & aspera (*Epid.* 3. *pag.* 1108.) die primâ incommodi percepti, licet *erecta & obambulans*, ejusmodi symptomata habuit, ex quibus *Hippocrates* febris inchoamentum cum prima symptomatum origine notaverit.

Qui post cænam in somno horrore correptus, (*Epid. 7. pag.* 1230.) surrexit mane capite gravis, horruit, vomuit, gravitas capitis perseveravit, sub noctem remisit, ad usque secundi diei meridiem. Rursùs inhorruit tum, noctemque tulit molestam. Haud tamen ante tertium diem symptomatum horum, cepit *Hippocrates* febris acutæ notare initium, quæ demùm, ut videtur, ad 14. diem morte terminata est. Facilè nos in historia ægri febrim initio jam adfuisse suspicaremur, sed *Hippocrates* ex signis quæ hîc non memorat, v. g. ex defectu caloris, ex pulsu, certus fuit, quod hominem non sit, nisi tertio die, aggressus.

Epid. 7. pag. 1231. Anamnesin refert *Anaxenoris*, quod lienosus scilicet & pravi esset coloris, quodque obortus sinistro in femore tumor derepente evanuisset. Datâ hac anamnesi, morbum præsentem sic infit: » Neque » multis post diebus ad lienis regio- » nem exorta est illi per initia veluti » epinyctis, insuperque tumor, ac du- » ra rubedo. Post quartum autem diem » febris ardens suborta est, & in am- » bitu omnia livida apparuere, ac ve- » luti putrida. Mortuus est leviter an-

» tea purgatus, mentisque compos. » Vel ægrotum ante quartum diem vidisse *Hippocratem* oportuit, vel ex *Thessalo*, *Polybio*, *Draconte*, aliisve, historiam morbi adeò accuratè tenuisse, ut epinyctidi, rubroque tumori febrim defuisse, eamque haud nisi post quartum diem accessisse, statuerit.

Epid. VII. pag. 1238. *Epicharmi puer* primo die necdum febricitâsse videtur, sed apepsiam contraxisse, id est, cruditatem ex deambulatione, qua excalefactus supponitur fuisse, & ex potu, quo frigido æstuantem ex motu sanguinem condensaverit, omnemque perspirationem suppresserit. Ab introversa transpiratione ad ventriculum nausea orta vomitusque. Altero die anxietatem passus emeticum sumsit ex aqua cum aceto & sale. Post pituitæ vomitum, rigor primùm ac febris accessit. Tertio die febris major. Quarto die morbi totius, scilicet tertio die febris, mors.

Epid. 3. pag. 1070. *Philistes in Thaso* diu capite doluerat, & soporosus ante morbum acutum decubuerat: Morbi verò acuti, cujus die 5. obiit, initium *Hippocrates* notavit duntaxat ex quo in morbo abusus potibus esset.

Hiſce, ſimilibuſque muniti obſervatis, dum minime ſtupidi ægri ſunt, probéque exiſtunt memores antegeſtorum, exactè, opinor, determinare novimus, utrum cum ipſis primis perceptis incommodis, an verò poſtliminio ortus ſit, quo laborant, morbus acutus. Febris enim indicia, majore calore, cæteriſque ſymptomatibus ſociata, hîc juvant; licet plures pauperum ſuos, quibus victum quæritent, labores, per unum, pluresve dies, adhuc continuârint. Diffitendum tamen non eſt, dubium ſupereſſe nonnunquàm tale, ut incertitudo per totum morbi decurſum perſeveret, nec morbus ad demonſtrationem regularum Hippocraticarum ullo modo ſit accommodandus.

Quæ ſi ita ſe habent, an non capimus, quàm iniquè nonnulli Hippocraticarum legum de diebus criticis inconcuſſam negent veritatem & conſtantiam? Si *primò* non utantur prudentiâ *Hippocratis* in determinandis acutorum initiis; ſi *ſecundò* non abſtinent ab applicandis hiſce regulis ad caſus incertos; ſi *tertiò*, ut benè notat optimus *Baglivi*, contra leges Hippocraticas naturam præpoſterâ medi-

catione interturbent; habebunt undè perpetuò in *Hippocratem* invehantur, dum in se solos invehi illos oporteret, dumque suis invectionibus falsis *Hippocratem* magis confirment, quàm oppugnent.

§. XI. An, crisi bonâ contingente, certò determinare possimus, utrum ægri perfectâ judicatione absoluti sint, an verò recidivam timendam habeant, alioſve morbos?

Ne absolutè unquam hîc determinent, auditoribus meis auctor perpetuò sum. Exceptis enim casibus, ubi epidemiæ natura talis est, ut omnes ferè recidivent, qualem *Hippocrates* sic describit, *Epid.* 1. *pag.* 956. 957. » Haud scio an eorum cuiquam, qui » superfuerunt, ritè factæ recidivæ » non recurrerint, omnesque, quod » sciam, servabantur, quibus hoc re- » cidivæ genus contigerit: » exceptis observatis epidemiæ, in qua vix recidivæ apparent, qualem *Hippocrates* describit, *Epid.* 2. *pag.* 1020. aïendo; » Nec nisi admodum paucis recidivæ » contingebant: » hisce, inquam, exceptis, innumeræ causæ existunt, quæ recidivam morbi ejusdem, quæ morbos ex acuto alios, quæ demùm

cum optima crisi mortem inferre queant; adeóque summam in præsagiendo nobis inculcent prudentiam. Causæ hæ ab ipso morbo petendæ sunt, ab ægro, ab assistentibus ipsi, à Medico, ab errore Pharmacopæi, &c.

Primò. Ab ipso morbo vel corpore morboso pendere ejusmodi casus, docent nos quotidiana observata. Novi ex regulis criticis requiri criticæ evacuationis eam constantiam, ut omnis morbi materies de corpore expellatur: Quis porrò Medicum certiorem reddet fore ut, quam laudet, qua gaudeat, critica evacuatio, ejus sit constantiæ? Ex causis nobis ignotis; ex non sufficiente virium expultricium robore; ex facili recessu materiæ per circulationem motæ in nobiliora loca; ex angustia finium minimorum canalium, quos permeare criticè motus, expellendusque humor, debeat; optima crisis quæ gaudia excitaverat, in luctum vertit. Ne longus sim, qui historias ægrorum apud *Hippocratem* attentè revolvit, pluries has similesque bonæ, sed non perennantis, crisèos reperiet causas.

Secundò. Ipsi ægri vix judicati, animi passionibus, errore regiminis, diætæ,

imaginatione venereâ, &c., bonæ ſuæ perdunt judicationis effectum. Cur *Philonis filia*, quo ipſo die optimè judicata erat, periit? Intempeſtivè cœnando debilem obruerat naturam, vaſaque debilitata ſua copioſiore chylo infarciverat, quàm illa eſſent tranſmittendo. Quare *Moſcho* die 14. ut debebat, benè judicato, tam peſſima recidiva? ἁμαρτάδες ἐγωμάτων ἐγένοντο: Die 17. errata in ciborum ratione contigerant. Cur *Scopus*, *Epid.* 2. *pag.* 1028. poſt criſin ſynanches inciderit in alvi ſegnitiem, febrimque continuam? φλαύρως διαιτηθέντι reſpondet *Hippocrates*: improbâ utebatur diætâ. Si aëre nimis libero utantur, dum v. g. criſis per ſudores fit, continuat, imò aliquando, ut *Sydenham* in quodam morbo advertit, 24. horis perſeverare debet, aër frigidior imprudenter admiſſus omnem noſtram ſpem ilicò fallit. Præterquàm quod aëris mutatio ſpontanea morbos mutet, eorumque ſymptomata. Fuerat *Perinthi*, *Epid.* 2. *pag.* 1020. aër in epidemicis morbis ſiccus diu caliduſque; aſt citò mutatur in humidum à copioſâ minutiſſimâque pluviâ: tanta hinc in acutis mutatio, ut qui iis non niſi ad

finem contigerant, ſudores, jam ægros ab initio invaderent. Ponamus tale quidquam contingere dum v. g. nunc fit critica per alvum aut urinam evacuatio : mollitudo cutis aëre calido humente nata, allicit motam per circulationem morboſam materiem, quæ fortè, apta quidem ut ſyſtemate meſenterico, aut renali excerneretur, minùs apta erit, quæ per cutaneos evacuetur poros, criſimque ſic turbatam monſtret.

Tertiò. Ab iis, qui ægro adſint, inſerviant, adeant, turbari critica evacuatio poteſt. In irato ob uxoris moroſitatem viro, in alio quem uxoris cum alio viro adſtantis zelotypia torquebat, viſitantium hominum importunâ multitudine, vidi anxietates ortas, criſeſque turbatas. Nec deſunt, qui res eo tempore haud concedendas ad manducandum aut bibendum ſuadeant, obtrudant; id quod, ne Medico ſubolfiat, ſæpè religiosè cavent; ſique ille quid ſuſpicatus, interroga-verit, præfractè negant, culpamque turbatæ naturæ in Medicum impudenter refundunt. Quum à tot tantiſque rebus fortunata judicatio morbi turbari queat, quis non videat, quàm

plena dubiæ aleæ sit, quámque circumspectum esse oporteat in prognosi?

Quartò. Ad evacuationes criticas, à Medico medicamenta, quæ eò usque data fuerant, incautè continuata, imprudenter ablata aut mutata; evacuatio critica, quod nimia crederetur, suppressa, imminutave, vel quod minor falso supponeretur, imp ritè aucta; nimia Medici in usu alimenti aut potûs, indulgentia, virium intenti ne restaurandarum, ut ad laborem sustinendum æger sufficiat; aut diæta continuata, quæ in vigore morbi bona, jam insufficiens est; famulorum Pharmacopolæ fortè errores in parandâ apportandâve medicinâ, & millena id genus alia, criticam evacuationem turbare, minuere, augere, sufflaminare possunt.

Quintò. Quid quod crises sint, quæ videantur perfectæ, nec tamen sint? Quæ sanitatem reparâsse appareant, nec reparaverint tamen? Intereaque temporis homines quid vitii in corpore alere minime credantur, & nihilominùs alant? Hoc genus vitia nonnunquàm à bona natura sic coqui, alvoque, aut urinâ, aut perspirationis organis, tam blandè eliminari, ut

æger prorsùm ignoret, credibile omninò eſt; ſed ſæpiùs poſt ſimulatam aliquantiſper ſanitatem, varios in morbos erumpere, teſtatiſſimum eſt. Deſumatur à variolis exemplum. Hiſce ſic defuncti, ut perfectâ valetudine frui videantur, ſi vena tundatur, fundunt æmulum pleuriticorum ſanguinem. Quum omnibus propemodum varioloſis meis, *Sydenhamo* docente, ſemel, bis, ter, à curatis variolis ſanguinem detraxerim, potero centenis confirmare, quod hîc aſſero, exemplis. Porrò ejuſmodi cruor in corpore circumductus, videtur in multis ſic ſenſim ſubigi, ut attenuatus inſenſibiliter eliminetur, aut etiam ſic, ut diatheſin phlogiſticam amittat; attamen, quod dolemus toties, poteſt ſubitaneis in cute tumoribus furunculos generare, abſceſſus ad articulos, ad oculos inflammationes, ſuffuſiones, cataractam, amauroſin; ad aures βαρυηκοΐαν, ſurditatem; ad pulmones aut vomicas, aut puris continua ſputa, variaque ad viſcera & partes, alia atque alia, formidandos morbos creare. Haud eget confirmatione theſis, quam, heu nimiùm! demonſtratam mecum dolent omnes practici, ſi poſt

variolas venæ ſectiones negligantur. Multi quidem inter variolarum curationem & erupturos poſtea morbos, languent; verùm non deſunt plures, qui, ut monebam mox, ferant hanc diatheſin inſenſiles, inſcii, uſque ad tempus, quo alius indè erumpat morbus.

Sanè miri caſus, quos ſuppeditat praxis, millies mihi in memoriam revocant ſententiam *Hippocratis*, quam inexperti rident, experti mecum veriſſimam agnoſcunt. *Lib. I. de Morbis*, *pag.* 456. de abſceſſibus agens, qui multis in pulmone, ſæpè lethales, naſcuntur, addidit » eſſe, qui ob bo» num corporis habitum eoſdem in » ſe fieri, ne ſentiant quidem. » Binos memorabo quos hac æſtate habui caſus. Vir nobiliſſimus in Moravia, totus toroſus ac ſanus, vomicarum ingentium in thorace latitantium prorſùm ignarus vixit, donec in prandio ab oſſiculo aviculæ imprudenter quidem, ſed feliciter, deglutito, maximas pateretur anguſtias, & ſub conaminibus extrahendi oſſiculum excitatâ tuſſiculâ, ſubitò pus expueret, horrende fœtidum, ad plures libras; poſt aliquot dierum quietem denuò plures

libras, atque ſic per 7. 8. vices, ut, vix auſim deſcribere, dolium, quod pure plenum eo tempore evacuâſſe ſe æger affirmat. Norunt mecum caſum bini celebrandi in arte viri, qui ægrum tractantes, mecum ſuper eo ſæpiùs conſuluere, doctiſſimus *Sagar* phyſicus, meritiſſimus Circuli *Iglavienſis*, botanices ſimul ac hiſtoriæ naturalis eximius cultor; & doctiſſimus dominus *Magh*, Archiater nobiliſſimæ & excellentiſſimæ Comitis viduæ *de Liechtenſtein*, in praxi medica colenda & promovenda eminens: & quod magis mirabar, bimeſtri ſpatio vix inde exacto, vidi nobiliſſimum Comitem in prædio meo ſuburbano me viſitantem, adeò ſanum, & toroſum, ut quid in ejus valetudine culparem, invenirem prorsùs nihil. In curatione ejus lac, aqua Selterana, mel, opium, cortex peruvianus, primas tenuerunt.

Dixeram diatheſin phlogiſticam longo tempore in corpore circumlatam, haud rarò, abſque formato primùm ſacco, ex ſanguine videri immediatè tranſſudare, dilatata vaſa pulmonalia, aut bronchialia, atque purulentorum ſputorum formâ expui, ut incautis vomicæ pulmonalis videatur evacuatio,

esse, idque ideò præcipuè quod longiore sæpè tempore hæc continuet sputorum ejectio. Casus plures variis in *Rationis Medendi* tomis anatome demonstratos, communicavi; d bo alium confirmatum sanitate. Nobilissimus vir ex rheumatismo dimidii anni, ex morbillis deindè, & anginâ, incidit, anni abhinc spatio, in magnam debilitatem, & in induratum valdè hepar, deindè in febrim tertianam. Solvente ac deobstruente remedio, succis herbarum potissimùm, curata febris fuit; iisdemque remediis, aquâ Selteranâ, atque continuato cataplasmate ad durum epigastrium, hepar denuò molle factum est, vires rediere, somnus, appetitus; ut demùm declinante æstate munere suo publico fungi æger, itinera quotidiana curru, aut equo, sanitatis ergo, peragere potuerit, & exceptis flatibus sæpè torquentibus, integram videretur sanitatem adeptus. Ast subitò, ineunte Septembri, raucus fit, moxque tussiendo pus coctum album copiosum commodè, unicâ tussiculâ expuere cepit, & toto mense Septembri & Octobri cōtinuavit, sanitate interim, liberrimoque semper pulmone, perseverante. In excellentissimo Co-

mite priore latuit omnes enormis copia puris, vomicis contenta pulmonis; in posteriore, diathesis purulenta sanguinis magna & copiosa, non nisi numerosissimis innotuit sputis.

Ergo dubia prognosis danda semper est, bona quamvis fiat evacuatio critica, & nunquàm post eamdem, dum videtur absoluta esse, nimiâ indulgentiâ erga ægrum utendum: ne nostrâ culpâ, quod forte insensibiliter exivisset, vel recidivam, vel novum morbum faciat; neve in ipsam Medicinam, aut Medicos, refundatur recidivæ, aut deterioris, causa.

Addere juvat historiam ægrotantis lethalem, quæ tum per se singularis est, tum egregiam facit plerorumque hucusque dictorum ἀναπεφαλαίωσιν.

Femina 27. annorum, quæ veris variolis bis se laborâsse asseverabat, levioremque dabat virulentæ gonorrhœæ suspicionem, morbos acutos plures perpessa, menses suos aliquando interruptos, semper irregulares tempore, copiâ autem paucos, habens, tandem 15. Augusti proximè elapsi horrore ac frigore, spatio 5. horarum corripitur, magno succedente calore. Tristi necessitate coacta, lassum suum ac dedola-

tum corpus ad hortenſes labores iterùm admovit, ſuperſtite ad prandium & cœnam aliquo appetitu. Die alterâ laborem hortenſem eâdem difficultate proſecuta, tandem die tertio ingraveſcente morbo lecto ſurgere non potuit, æſtu laborans ingenti, ſiti intenſâ, cephalalgiâ, ἀποσιτίᾳ, artuum omnium dolore, vigiliis, &c. Pulverem quo ſudâret, ſumſit, modicè ſudavit. Die quarto maculis rubris ſibi cutem tingi advertit, veſpere evaneſcentibus. Die quinto maculæ renatæ; pedes, manus, venter, pauculùm intumuere. Die ſexto eadem. Huc uſque & alvum quotidie habuerat, & nunquàm dormiverat ferè. Die ſeptimo inchoante, mox ubi ad noſocomium SS. Trinitatis adducta eſſet, ad nos adferebatur.

Femina hæc quamvis primis morbi diebus labores ſuos proſecuta eſſet, *erecta & obambulans*, ὀρθοϛάδην, ex regulis tamen à *pag.* 73. ad 80 datis judicabatur à nobis acutè ab ipſo initio laborâſſe, adeóque acuti ac maligni morbi diem nunc ſeptimum agere. Quum in ſummo æſtu, notante thermometro Fahrenheit. in umbra gradum 81. caloris, febriente corpore laborans validè ſub dio, tenuiora hu-

morum ſuorum diſſipâſſet, incraſſâſſet reliqua, dein ſine auxilio bono, cum intempeſtivo ſudorifero, jacuiſſet, mirum minime eſt petechias acceſſiſſe, morbumque evaſiſſe malignum.

Symptomata porrò, die 7. inchoante, hæc invenimus; cephalalgiam, artuum gravitatem, vehementem ſitim, curem aridam & urentem, aridam linguam, reſpirationem difficilem, fortem ac celerem pulſum, ventrem tumidulum, dolorem attactu auctum, in latere dextro eoque inferiore thoracis, petechias tandem, & ad femora vibices, quæ tamen ex aliquot horis coloris intenſitatem multum dimiſerant.

In toto morbo, undique examinato, nihil non crudum. Petechiæ, & errore natæ, &, quod morbus in dies ingraveſceret, verè ſymptomaticæ; ergo tutò, *Sorbaitii* conſilio, negligendæ, ac ſi non adeſſent; & febris acuta, tanquàm planè cruda tractanda. Undè vena ſecta eſt, diluentia, nitroſa, expectorantia remedia præſcripta, cataplaſma dolentibus adplicitum locis. Poſt venæ ſectionem reſpiratio paullò facilior fuit; petechiæ, quæ jam illi ad nos intranti minuebantur, plus diſ-

paruere, veſpere verò, quamvis in parvo ſomno leviorem ſudorem, humidamque poſtea ac calidam cutem haberet, vix ultrà niſi ex veſtigiis relictis cognoſcebantur.

Veſpere cum calore 102. graduum cephalalgia ingens, & fermè ſuffocans reſpiratio, alteram venæ ſectionem ſuaſerunt. Symptomatum indè remiſſio.

Inchoante die octavo, licet calor 100. gradum thermometri non transcenderet, febris tamen magna fuit, pulſu minùs, quàm pridie, ſuppreſſo. Perſeverantibus ventris utcumque doloribus, continuatum cataplaſma eſt, & injectum emolliens enema, quod copioſa ſtercora ſolvit, eduxit.

Suffocans reſpiratio, quæ die 7. ad meridiem, & ad ſeram veſperam affuerat, hoc die octavo ad 9. matutinam minùs violentè, ad 2. pomeridianam poſt levem horrorem violentiſſimè ingruit, ita ut, ne ſuffocaretur penitùs ægra, tertiam venæ ſectionem tentaremus: verùm vix fluente ſanguine, & imminente animi deliquio, ſub ſtragulis repoſita eſt, & aceti frigidi aſperſione ac frictione ſic recreata, ut faciliùs reſpiraret. Ca-

lorem notabat tunc eo, pridie, majorem; graduum ſcil. 104., percipere ſe affirmabat ſub ſterno corpus veluti durum, ac dolens, quod in paroxyſmo auctum reſpirare prohiberet.

Ex his phænomenis ſuſpicati, ne præter acutum morbum, ſpaſmodici quid reſpiratorios afficeret nervos, dedimus inter remedia dicta nonnunquàm lene neuroticum, ſpiritum cornu cervi ſuccinatum, miſtum cum tantillo diacodii, & admovimus veſicantia. Nihilominùs ad mediam ſeptimam ſubdelirare cepit, valdè febricitavit, vehementer ſitivit, & cum cute primum jam humida ſudare cepit ad octavam, ſudore per totum corpus profeſſo, cum ſomno perturbato. Urinam tunc reddidit, quæ boni coloris enæorema ſuſpenſum habuit. Nox valdè inquieta, quietior ad auroram ſomnus parùm modo læſam reſpirationem oſtendebat. Mane febris minor, & calor tantùm 100. gr. veſicantia operabantur.

Signa bona plura hîc aderant. Sudor, poſt horrorem, univerſus, ſymptomatum emendatio, ſomnus tranquillior, febris ſedatior, calor minor, bonus veſicantium effectus, urina bona.

Verùm contigerant hæc media octavâ morbi die, quæ non critica : coctionis ſigna ante ſudorem non adparuerant, & dies 9. continuis omni horâ variantibus anxietatibus pectoris, & febribus, tranſacta eſt. Ergo nihil critici in ſudore prægreſſo. Porrò hoc 9. die obſervavimus dormienti, quàm vigilanti, reſpirationem liberiorem, quod acuto morbo ſpaſmorum adjunctorum confirmavit ſuſpicionem. Interim hoc toto die pulchrè fluxere veſicantia, bonique fuit urina coloris, calor 101. gradum tantùm notavit. Nox inſequens moleſta, ſudor frequens.

Die 10. inchoante, pulſus fortis ac celer, ad meridiem moderatus ; cephalalgia continua toto morbo, ſudor indeſinens, ἀποσιτία. Poſt meridiem permutationes perpetuæ reſpirationis ac febris, cum ſomno, ut videbatur, placidiore, aliquoties capto. Enema alvum copioſam, ſtercoraceam, eduxit.

Subnaſcebatur interim ſuſpicio num febris hæc referenda non foret ad ſpeciem illam, quam *libro de Febrium diviſione capite* 9. deſcripſi, quam poſtea vidit, accuratiſſimè deſcripſit, feliciter curavit,

curavit, egregius *Lautter*; qualis si foret, cortex peruvianus ilicò præscribendus esset.

Verùm species illa febrium ad intermittentes urinis, ac maximè pulsu, referendam se esse docet; nostra febris erat continua remittens utroque hoc signo. An verò etiam in continuis remittentibus, si malignitatem redolerent, non dedimus sæpiùs summo cum effectu corticem? Utique daturus fuissem, nisi bonæ eousque & naturales urinæ circa tertiam matutinam, mox instante 11. die in verè hypostaticas pulchrè mutatæ, jussissent paulisper expectare eventum morbi.

Die igitur 11. verè critico, post hypostaticas urinas, placidus somnus, facilior respiratio, multus isque universus sudor, sputa pauca glutinosa. Hocque die quinquies missæ urinæ, habebant omnes sedimen album, læve, æquale, copiosum. Febris moderata sic, ut post meridiem vix ultrà perciperetur.

Igitur habebamus hîc plurima bona signa, quæ bonæ criseos criticæque evacuationis, certitudinem ad salutem indicabant; sive evacuationes sudorum & urinarum, primumque ap-

parentium ſputorum indicium, ſive inſignem morbi, ejuſque ſymptomatum, emendationem, intuearis.

Principiis verò imbuti Hippocraticis, (*vid. pag.* 59. n°. 1.) cavimus à certitudine prognoſeos, viſuri num bonorum ſignorum gauderemus conſtantiâ. Prudenter ſane: nam ad 8. veſpertinam reverſio anxietatis in reſpirando; quæ ad 10. remiſſior, tandem ad 2. adeò vehemens, ut intra horam vitam unà ademerit.

An malum, poſtremos ſudores prægreſſo caruiſſe horrore? Sed alvus per totum morbum libera fuit. *Vide à pag.* 6. *ad* 9. An ſpaſmi motam, & criticè probè excernendam, naturâ tamen ſuâ craſſiorem, materiem morboſam, ſic in anguſtiis pulmonum compreſſerint, ut tota ſimul ſubſtiterit circulatio? Numquid, ſimili caſu denuò ſe offerente, cortex peruvianus non foret audacter ab initio exhibendus, tanquàm antiſpaſmodicorum princeps? Si optimè hypoſtaticæ urinæ formidoloſas ſe oſtendant aliquando, ut hîc, ut & ex *Hippocrate*, *pag.* 35 *& ſeq.* patuit, an non imprudenter imitaremur *Galenum*, tantopere bonis fidentem urinis, ut ex iis ſolis prognoſin credat poſſe formari?

CAPUT III.

DE MORBIS ACUTIS CUM PETECHIIS AUT MILIARIBUS.

§. I. *Petechiæ & miliaria rariſſimè, ſi unquàm, critica ſunt; frequentiſſimè ſymptomatica; ſymptomaticorum verò plurima factitia: quod quamvis demonſtratum pluries, nec dum animis patrium evellere errorem potuit.* §. II. *Hinc natæ tironum objectiones, & ſcrupuli, contra demonſtrata. Objectiones* 1. *de aphthis eſt. Oſtenditur hanc ipſam objectionem evincere tum miliaria factitia eſſe, tum brevi occidua fore.* 2. *Objectio ponit ſi, quæ de calida methodo, ut miliaria generante, dixerim, vera eſſent, miliaria & antiquiora, & univerſaliora eſſe oportere: Reſpondetur argumento à pari, quo objectio refutetur.* 3. *Objectio ſupponit, quamvis* Viennæ *calida methodus vix in uſu ſit, tamen & in urbe, ſuburbiiſque, & in omnibus noſocomiis, etiamque in meo, miliaria frequentiſſima eſſe: adeóque falſum eſſe, quod eadem generet calida methodus. Reſpondetur, ſalvo honore*

multorum præstantissimorum Viennæ *Medicorum, multos medicos, ipsamve plebem, vel utrosque, aut calida medicamenta, aut calidum regimen, aut utrumque, vehementer amare: deindè præterquam à calida methodo, etiam pluribus aliis de causis illa generari: Falsò accusari meum nosocomium, demonstrari diariis hîc communicatis; utpote quæ & rarissima in illo miliaria, & semper symptomatica fuisse, doceant. Animadversio in imperitos, qui maculas rubras, & sudamina, cum petechiis & miliaribus ineptè confundunt.* 4. *Objectio statuens exanthema hoc, ob regulare oriundi, crescendi, decrescendique tempus, criticum dicendum esse, nihil probat: id textu* Hippocratis, *plura alia adhuc docentis, ostenditur.* 5. *Objectio supponit ideò critica esse miliaria, quod eadem moderari, mutare, minuere non liceat, ut quidem id, quod verè symptomaticum: Respondetur summo ægrorum emolumento, & licere, & oportere.* 6. *Objectio comparat illa cum variolis & morbillis, ponitque malè à me negari, quod ut hi illis, sic illæ his, superveniant: respondetur paucis exceptionibus regulas uni-*

versales non destrui : adeóque jure me negâsse. 7. *Objectio me ipsum ut idiopathica descripsisse : Respondetur negando.* 8. *Objectio condemnat meam in miliari febre methodum, venæ sectionem, eductionem ægrorum ex lecto, vesicantia, &c. Respondetur demonstrando venæ sectionem necessitatem apud* Germanos, *deindè* Sydenhami *exemplo, à* Boerhaavio *& illustrissimo* Præside *laudato, meam methodum commendari. Vesicantia id non facere, quod supponit objectio, demonstratur observatis ; verus demùm illorum usus & effectus ostenditur. Objectio nititur testimonium* Fratrum Misericordiæ *annihilare ; probatur non modo verum fuisse, sed novis constare & firmari experimentis :* 10. *Objectio agit de omisso* maximam partem *in latino* Lautteri *textu gallicè reddendo. Respondetur quod incuriâ fecerim, idem vitium in eodem textu gallicè reddendo paulo inferius commissum esse ab iis, qui ob id me carpant.* 11. *Objectio spectat contradictiones notatas in libro doctissimi domini* Hazenohrl : *Responsio demonstrat, aut imaginarias has objectiones esse, aut malevolas. Objectio* 12. *De*

usu candelæ ad detegenda miliaria, & responsio. Objectio 13. *supponit me perperam* Hoffmannum, Fuchsium, *in meas partes laudâsse; Respondetur laudari in meam sententiam debuisse, eo quo laudavi sensu, non verò in eo sensu, quo adversarii velint, & qui meus non fuerit.* §. III. *Epilogus hujus capitis necessaria.*

EX quo Medicinam, idque *Viennæ* potissimùm, feci, per observationes, quas in nosocomio meo, & apud ægros in urbe atque suburbiis in consilium vocatus, plurimas habui, dudùm didici duo hæc: 1°. clarissimum meum in cathedra Viennensi antecessorem, & augustissimæ Imperatricis ELEONORÆ Archiatrum, *Paulum de Sorbait*, ante 100. ferè abhinc annos, verissimè *de petechiis*, extra pestem contingentibus, scripsisse *Univ. Med. pag.* 541. quod essent motus *noxius* ac *symptomaticus*; & pag. 545. *expulsio symptomatica*, cujus tam parùm noxia esset retardatio, ut extantibus iisdem venæ sectio tutò institueretur. 2°. Incomparabilem *Sydenhamum* 80. abhinc elapsis annis in *Schedula monitoria* justissimè non modò similia de petechiis, de

maculis purpureis, & de miliaribus, teſtatum eſſe, verùm etiam rarò à natura, ſæpiùs malâ arte extorqueri, luxiſſe.

Hinc elapſis propemodum quatuor annis in dedicatione theſium de *Diviſione Febrium* ad auditores meos hæc dixi: „ Dantur exanthemata petechia-
„ lia, & miliaria *critica*; dantur merè
„ *ſymptomatica*; dantur denique *acci-*
„ *dentia*, aut *accidentalia*, ut vocant,
„ pravâ arte producta. Peſtilentioſis
„ temporibus critica frequenter, fre-
„ quentiùs ſymptomatica, deſcribun-
„ tur auctoribus: tempore autem mi-
„ nime peſtifero, exanthemata hæc
„ tum critica, tum ſymptomatica,
„ rariora ſunt, accidentia verò, fa-
„ tali ſcilicet arte genita, frequen-
„ tiſſima. „

Poſt editum hunc librum, magis convictus fui, magiſque de tanta utriuſque exanthematis, veluti critici, raritate; ita ut vix critica dari, ſpontéque generatorum exanthematum pleraque, ac ferè omnia ſymptomatica eſſe; cæterum ſymptomaticorum in *Germania* numeroſiſſimorum pleraque eſſe factitia, audacter ſtatuam.

Hinc in omnibus ferè quæ edidi

opuſculis medicis ; hanc veritatem propoſui, ſtatuminavi, unguibus defendi roſtriſque : ut demùm omnes, qui Medicinæ addiſcendæ cauſâ ad inclytam hanc Univerſitatem confluunt, dictis convicti factiſque, ad extinguendum hoc peſſimum, ac ſæpè lethale ſymptoma, animum admoveant, dum ipſi per ſeſe praxin exercebunt.

Sed altiores egit radices patrius error, quàm ut exantlatis hucuſque laboribus evellatur animo. Id me docent ipſi Medicinæ tirones, quos converſatio cum vetuſtioribus medicis, quos malè relata exempla, quos horror omnis ejus quod novum dicitur, licet ſit præjudicatâ opinione antiquius, ita præoccupavit, ut ſylvam objectionum collectam mihi ſæpè objiciant, ad quas toties reſponſa ipſis dedi, quibus videbantur convicti recedere ; haud ita tamen, quin convictionis obliti, ſæpius ad me redirent, crambem recoquentes antiquam.

Quum porrò ſalus publica ſuprema lex ſit, & quum noſocomii noſtri diariorum collectiones, quas opuſcula *de Ratione Medendi* referre ſolent, in uſum ſtudioſorum præcipuè evulgen-

tur; operæ pretium erit, in hoc octavo ejuſdem operis tomo, eaſdem tum ampliùs evulgare, tum elucidatiùs exponere, ut demùm omnis de illorum animis auferatur hæſitatio. Quo autem utilius atque efficacius id exequi poſſim, putavi nihil ad id accommodatius fore, quàm recenſionem earumdem objectionum, quas mihi contra meam ſententiam oppoſuerunt, & ad quas reſponſa, quæ dudùm dederam, nondum ritè intellexiſſe eoſdem deprehendo. Noſocomii obſervata ſimul ad objectiones eaſdem dirigam, & applicabo.

I. Objiciunt mihi ſæpè problema, quod ill. Med. Præſes L. B. *van Swieten*, capite *de Aphthis*, Medicis propoſuit illis, quibus occaſio rem propius examinandi, quàm ſibi, ut archiatrorum Comiti, liceret, frequentiſſima adeſſet; *utrum ſcilicet miliarem morbum inter, & aphthas, tanta intercederet affinitas, ut quod apud Belgas aphthæ, id miliaria apud Germanos eſſent*; undè concludunt *non poſſe miliaria dici factitia, quia factitiæ non ſunt aphthæ.*

Quidquid ex problemate concludi-

tur, æquè problematicum manet

quàm problema ipſum. Verùm demus non eſſe problema, ſed demonſtrationem; quid indè? Profectò miliarium in *Germania* ruinam neceſſariò præfatur.

Belga natus, & ſpatio 19. annorum luculentâ ibidem praxi exercitatus, certi quidquam & novi de aphthis proferre potui; utpote qui pluribus annis poſterior magni *Boerhaavii* in Coll. Pract. auditor fuerim, quàm ill. Præſes; & qui integris novem annis poſt ill. viri abitum praxim ibidem exercuerim.

Aphtharum nomine quid intelligatur propriè, ex definitione *Boerhaavii*, & commentario ill. Præſidis cuique notum eſt. Antiquitùs videmus eo nomine potiſſimùm intelligi puerorum morbum, & etiam exedentia adultorum ulcera, quæ cancri aquatici, vel ulceris *nomæ* nomine, nunc deſcribimus; minime verò aliquod ſymptoma, vel evacuationem criticam, quæ in acutis creberrima conſpiceretur, ut quidem poſtea. *Foreſtus* in *Belgio* potiſſimùm ſic de aphthis agit, ut dixi: addit verò *libr.* 14. *in ſcholio ad Obſ.* 22.: » Aſt aphthæ quæ in febribus &

» in morbis acutis, & in peſtilentia,
» & quæ frequentiùs in periculoſis fe-
» bribus apparent, ex flagrantibus ex-
» halationibus etiam in peripneumoni-
» cis, ut ſæpè vidimus, rarò non diro
» augurio ſpectantur. » *Sennertus in Germania prax. lib.* 2. *part.* 1. *cap.* 18. ut infantum morbum deſcribit; ſin verò adultos occupat, ad malignitatem morborum acutorum refert.

Ex quo verò regimen & medicamenta calida *Belgis* per integrum ferè ſæculum acceptiſſima fuere, aphtharum frequentia tanta ibidem fuit, ut gauderent Medici & ægri acutum morbum quandoque ſine aphthis curari. Luxerat quidem diù infamem ob illas patriam ſuam *Boerhaavius*; verùm triennio ante ſua fata vidi, audivique, venerabilem ſenem gloriantem, & exſultantem, quod in dies aphtharum crebritas minueretur, ſpemque ſui interitus daret, ex quo Hippocraticæ methodo, multitudine ſuorum diſcipulorum ſenſim inductæ, inciperet, pergeretque cedere error antiquus.

Hoc adeò verum, ut ipſe ego, ultimis Batavæ meæ praxeos annis, celebreſque mecum in patria practici,

teſtarentur, vix bis ter in anno aphthas ſe in adultorum acutis cernere morbis; læti ob id inprimis, quod inciperemus hoc modo carere ejuſmodi in acutis ſymptomate, quod criticæ evacuationis honeſtâ appellatione vix eſſet recenſendum. Equidem *Boerhaave, Inſtit.* §. 938. & *Aphoriſm. cap. de Aphthis*, ad criſin eas retulerat; ſed ad qualem? Ad difficilem, laborioſam, periculo plenam, ac ſæpè lethalem; rarò ſcilicet ortam à natura febris, ſed, *aph.* 991. *probl.* 3. *maximè ſi medicamenta, victus, regimen, calefacientia* (*aut adſtringentia*) *initio hujus morbi data*; Agnovit eas abſque calefacientibus naſci, ſed ſimul ab iiſdem naſci *maximè* aſſeverat. Ergo agnovit quoque aphthas *factitias*. Hinc minimè in collegiis mirabamur, quod magnus ille vir, *Sydenhamum* imitatus, nobis tam ſeriò inculcaret, ut in initio ejuſmodi febris, quæ adjunctam diarrhœam & dyſenteriam haberet, & in quarum fine alioqui eſſent adparituræ aphthæ, purgans daremus, *quo ejuſmodi aphthas præcaveremus. ibid. probl.* 4. Si autem juſſit nos aphthas, ne naſcerentur, præcavere, agnovit aphthas negligen-

tiâ Medici factitias; aphthas, inquam, quæ in fine morbi haud affuiſſent, ſi Medici in morbi principio ſuas partes expleviſſent. Eodem prorsùs modo hîc *Boerhaave* egit, quo ante 100. ferè annos *Sydenhamus* agebat, dum bubones, parotides, antraces, periculoſas ſæpè febris peſtilentialis criſes, tam ſalutariter ſudore 24. horarum, ac purgante, præcaveret, ut omnes indè feliciter emergerent; interea dum aliorum plurimi, quibus hæc Medici non præcaviſſent, deſiderarentur. *Vid. de Febr. peſtil. & peſte ann.* 1665. 1666. Eodem denique modo, *Sydenhamii* ac *Boerhaavii* ſapiens exemplis, *cl. Allionius*, miliaria, in febre ad illa diſpoſitâ, ne erumperent, præcaveri docuit, binâ ternâque venæ ſectione, totidemque purgantibus; quam methodum ut ſaluberrimam toties expertus, vehementer laudat.

Itaque quo magis urgent adverſarii problema hocce, eò magis ſtatuminant & roborant ſententiam noſtram.

II. *Si regimen, & calida medicamenta, miliaribus producendis apta nata forent, utique ad* 16. *ſæculi initium*,

quo Sylviana methodus florere incepit; neceſſe eſt tunc illa adparuiſſe, & ex eo tempore ubique, ſiquidem calida methodus exindè univerſalis fuit.

Tranſeundo errorem in epocha Sylviana commiſſum, ſiquidem initium 16. ſæculi, imò vix illud 17. nec dum *Sylvii* videre natales, virique opera prima ante 1664. lucem non viderunt; dicam calidam methodum dudùm ante epocham illam in Germaniâ viguiſſe. Sed his tranſmiſſis argumentum argumento opponam, quo ejuſdem imbecillitas pateſcat. Si congreſſus venereus poſſet luem veneream, ac gonorrhœam, creare, hanc & illam creâſſet jam ante numeroſa ſæcula, ſiquidem ſemper obtinuit ejuſmodi congreſſus Atqui ante finem ſæculi 15. nullibi Europæorum locorum morbus hic notus fuit. Ergo eumdem producere congreſſus venereus non potuit. Eſt quidem ridiculum argumentum; ſed quo objectionis ridiculitatem demonſtret, neceſſarium. Utriuſque autem facti, argumento utroque contenti, rationem rogatus, fateor reſponſi nihil me invenire, quàm, quemadmodum finiente ſæculo 15. morbi venerei, ab impuro congreſſu contracti,

primò in regno Neapolitano apparuere, & deindè reliquos ordine Europæos invaſere, prout infectorum commercio ſuccedente ordine utebantur; à qua tamen cauſa, licet anteà millioneſies & millioneſies poſita, lues venerea nunquàm orta eſſet; ſic poſt elapſi ſæculi principium (eam enim epocham figere Riveriana ſuadent,) nata miliaria eſſe ex regimine calido, à calidis medicamentis, ab aëre aut non, aut non ſufficienter, renovato, ab eodem multorum hominum exhalationibus inquinato, ab interna corruptione humorum, illi ſimili, quàm calida dicta generent, & fortè ab aliis nonnullis cauſis; à quibus tamen cauſis nunquàm anteà generata eſſent. Mera obſervatio eſt, cujus cauſam neque in purpura, neque in lue venerea, ingenio aſſequimur, naturæ utriuſque corruptionis ignari.

III. *Frequentiſſima ſunt miliaria Viennæ, & in omnibus noſocomiis, & in privatis ædibus, etiam quandoque reperiunda in meo noſocomio. Atqui Vienenſes Medici calidâ methodo tam parùm utuntur, ut qui eoſdem de illa accuſaverit, videatur de lana caprina diſpu-*

tâſſe, neque ego certe calidis utor in noſocomio. Ergo non eſt verum, quod ea calida methodus pariat.

Reſervando mihi reſponſum ad ea, quæ de *omnibus noſocomiis* objiciuntur, admitto majorem, & ad minorem, ſalvo ſemper honore plurium Viennenſium Medicorum, qui egregiam methodum curandi adhibere ſolent, morboſque acutos, in quibus exanthema prodit, ſic curant, quaſi illud non adeſſet, id quod mihi teſtati ſunt ſæpiùs; *Reſpondeo* 1º. formulas multorum medicorum adeptum, certò me noſſe, & in noſocomiis, & in urbe, ſuburbiiſque, plurimos reperiri medicos, qui calidis alexipharmacis, copioſo præprimis croco, ipſo acutorum principio, perque univerſum eorumdem decurſum, utantur, & hanc ſuam methodum publicè laudare non vereantur, ut virus, quemadmodum *Hoffmannus* Medicis pravis exprobrabat, de corde pellant. Extant innumeræ formulæ Hofmannianæ dictæ miſturæ cum bona croci doſi; formulæ linctuum pro tuſſi catarrhali, quibus ſuſpicione aut latentis, aut ſaltem futuri exanthematis, crocus eſt admiſtus. Præſens in conſultatione

vidi celebrem Medicum, animadverſo, ut poſteà patuit, culicum morſu, cardiaca calida ad exanthema, ut ajebat foràs ejiciendum, jam dediſſe : methodo tamen à me, biniſque aliis collegis, in rationabilem mutatâ, æger abſque vel minimo exanthemate brevi integréque convaluit. Advocatus ad conſultationes, aërem nedum ægris, verùm nec ſanis, calore tolerabilem, ſæpiùs deprehendo. Quin & animis adeò altè inſitum calidi aëris præjudicium offendi, ut horâ conſultationis is, ne conquererer, moderaretur, moxque, abeunte me, incenderetur; quam fraudem, aliquando maturior interpellans, detexi. Plures etiam boni Medici apud me conqueſti ſunt, quod, quantâcumque diligentiâ aëris commendarent, curarentque temperaturam, tamen vulgus æquè nobile, quàm ignobile, calidum perpetuò aëra, ſe abeuntibus, concilient ægris. An ergo falſum non eſt, quod, qui de hiſce conqueratur, de lanâ cavillet caprinâ? An miremur, quod exanthemate infamem ſe Regia *Vienna* lugeat?

Reſpondeo 2°. ut pravâ arte miliaria, alioqui defutura produci, ſæpè

conqueſtus ſum, ita luce clarius evici aliis occaſionibus, haud ſic calida medicamenta requiri, ac ſi, citra illa, petechia aut purpura gigneretur nunquàm. Equidem etiam ſine medicamentis calidis aptum aëra eſſe, qui illa producat, calidiorem : adeóque à Medicis, temperatam medelam dantibus, miliaria millies creari, dum aut ſtudio imperent, aut conniventia tolerent, acutè laborantes calido in aëre foveri perpetuò. Demonſtravi pluries quoque purpuram eorum ſub cura produci, qui calidi remedii, calidique aëris oſores, vano interim metu ægros lecto ſæpiùs eximere, eorumdemque propriis inquinamentis in lecto fœdatam atmoſphæram ſufficienter mutare, ac luſtrare, religioni habeant. Generari forſitan eadem faciliùs, dum in ægris, lecto vix mutatis, venæ ſectiones fuerint omiſſæ; ſive præ defectu neceſſariæ diſtinctionis veram inter imaginariamque debilitatem, ſive præ generaliore, quàm par eſt, perſuaſione inſequuturi cujuſquam nocumenti, ſi ægris acutorum principio vena ſecetur, quando aut impetus humorum vehemens non ſit, aut cutaneæ ſperentur, expectenturve, eruptiones.

Præterea docuit experientia toties, abſque calidis remediis, abs calido aëre, miliaria & petechias produci, quando plures ægri, eodem in loco collocati, atmoſphærâ mutuâ, aut non mutatâ, aut ſaltem haud ſufficienter, ut in bellis toties viſum, veſci cogantur : Quin etiam omnibus ſic à Medico directis, ut nullatenùs exanthema gigni debeat, gigni nihilominùs idem, dum qui jam prius iſtud vel in miaſmate alibi concepiſſent, vel aliis explicitis de cauſis ſibi comparâſſent, curandi ſuſciperentur. Tandem ſpontaneam acutis in ægris humorum corruptionem, ſpontanea exanthemata, penitùs tamen ſymptomatica, & pernicioſa, generare nonnunquàm.

Quum ergo tot exiſtant cauſæ, quarum vel unica hæc exanthemata citra naturæ operam produci queant, nonne iniqua prorſum argumentatione concludere velint, exanthema ideò datis de cauſis non gigni, ſi earum vel unica deſit ? Eodem planè modo concluderet quis febrim ardentem gigni poſſe nunquàm. Optimus *Boerhaave*, *Aphor.* 740. » Cauſa, *inquit*, (febris ardentis) labor nimius, iter longum,

» æstus solis, sitis diù tolerata, usus » calefacientium, fermentatorum, aro- » maticorum, acrium, veneris nimiæ, » delassatio immodica, maximè æsta- » te, &c. » Sex igitur septemve varias, seorsimque subsistentes, febris ardentis causas enumerante *Boerhaavio*, licebitne negare hujus febris præsentiam, eo quod ad eamdem præsentem sistendam ex his septem defuerit una, duæ, tres? Ut febris ardens non gigneretur, deesse oportuisset causas omnes: data autem earum vel unica, generari potuit.

Sic unà responsum habetur ad objectionem, petitam à viso quoque exanthemate in nosocomio nostro. Numquid ideò apud nos, citra bonæ naturæ operam comparere haud potis est, non porrectis licet medicamentis calidis? Ordine adplicentur exanthematum recensitæ causæ omnes ad ægros, qui eadem apud nos acquisiverint, & capiet facilè quisque, quod aut à degeneribus prorsùm humoribus, aut proprio neglectu, aut suscepto anteà contagio, subindè debuerint nasci.

Dedi in variis *Rationis Medendi* tomis catalogum horum, & omnium

qui unquam exanthematibus apud nos laborârunt; ex quibus antequàm demonstrationem formem, recentiora nonnulla priùs enarrabo. Anno 1762. feminam cum miliaribus in nostro nosocomio acquisitis ægram habui, idque hunc in modum: Per decem dies acutæ febris labore agitata femina, demùm ad nos confertur. Die 15. non critico, miliaria prodeunt notabili cum incremento morbi. Die 19. non critico, abundantior purpura. Die 21. non critico, post ingentem horrorem calor, sudor, copiosiora miliaria; quæ & pauciora ante, & copiosiora post, auditoribus demonstravi; eaque demùm sic, ut die 24. moriente ægrâ, tum essent copiosissima, tum aliquantisper morte, adhuc benè prostarent.

Anno currente, ad 8. Augusti juvenculam suscepimus, quæ cum continuâ febre ædibus expulsa, ad feminam pauperrimam sibi notam se contulerat, ibidemque citra ullum auxilium ad medium tertium diem jacuerat. Indè in quoddam nosocomium, in quo exanthematicorum legio, delata, sex horis citra auxilium, tantummodo plurimùm tecta, ac probè sudans, mansit; indè ad nos sellâ por-

tatili bene clausâ conducta est, maculis petechialibus hinc indè jam conspicuis, pectore anxia & tussiculosa. Die 4. & 5. morbi alvus cocta biliosa, naturalis urina, sudor levis, febris pauca. Ad meridiem diei quinti febris admodum magna, valido cum sinistri lateris ventrisque dolore. Post factam sanguinis missionem obdormivit, ac sudore toto pomeridiano tempore diffluit, maculis petechialibus indè non promotis, sed ita sensim obscurantibus sese, ut ad 9. morbi diem ulla vix relinquerentur vestigia. Quod autem notandum, post venæ sectionem die morbi 5. factam, crisis facta videbatur sudoribus & alvo, ita quidem, ut bonâ in dies perseverante alvo, cum urina existente passim naturali, semelque hypostaticâ, ad 10. diem inchoantem nullam prorsùs febrem ultra deprehenderemus.

At verò 16. die mensis, morbi die 12. non critica, notavimus alba quædam, eademque parva admodum miliaria in pectore, at ita inconstantia, ut nunc conspicua, horâ vix elapsâ, evanida, paulóque post iterùm visibilia essent. Idem morbi 13. die; perseverante interim, quæ ante milia-

ria affuerat, ſanitate. Die morbi 14 & 15. benè conſpicua, ſed minutiſſima. Die 16. 17. 18. 19. 20. mane quidem pauca, poſt meridiem verò plura. Die 21. mane plura, poſt meridiem pauciora. Die 22. vix viſibilia. 23. nulla. Quum puella hæc poſt criſin ſana vixiſſet, ita ut quovis die ambulans, & ſedens extra lectum, nec ante eruptionem, nec ſub, nec poſt illam, vel minimum ægrotâſſet, templum 1. Septembris adivit, ſilentio ſupprimens levem ventris dolorem. E templo redux, vomuit, quæ comederat, ferè tam integra, quàm in menſâ fuerant. Levem indè experta febrim, ſudavit nocte multùm, & ſana ſurrexit, manſitque.

Dedi jam, *cap. I. hujus tomi*, hiſtoriam feminæ, quæ ſub idem tempus, ad diem ſui morbi 5. purpureis maculis extantibus, ad nos allata fuerat; ſeptimoque die judicari viſa, ingens poſthac negotium nobis faceſſerat; & *cap.* 2. aliûs, quæ à triduo petechiis tincta, ad 7. diem ad nos conducta, & ad 11. mortua eſt.

Ex cunctorum recenſione decem homines, ſpatio decem ferè annorum numeramus, qui alterutrum exanthe-

ma, aut utrumque, in noſtro noſocomio acquiſiverunt. Horum porrò decem, tres in noſocomiis exanthemate infectis, aliquantiſper decubuerant; unus negligentiâ petechias ſibi comparavit. Quinta ad peripneumoniam neglectam, extra ædes noſtras, habuit ſcarlatinam ac miliaria, in noſocomio verò variolas & petechias, à degeneratione humorum ſubtiliſſimorum ſummâ. Sexta ex morbo maximè maligno, cum mictu cruento ferè deſperato, petechias contraxit. In reliquis, morbus acutus per 4. 6. 8. 10. dies neglectus, jam motu, calore, labore, ſudore, in multos loci verſus errores, malignitatem jam contraxerat.

Cum exanthematibus jam conſpicuis quatuordecim ad nos allati ſunt ex noſocomiis aliis, privatiſve ædibus.

Igitur ſpatio decem ferè annorum 24. homines exanthematici in noſocomio noſtro fuere: Octo ſcilicet exanthemate petechiali, quos inter cum variolis unà; undecim ſolo miliari; quinque utroque, eoſque inter unà cum peſſimis variolis, affecti.

Horum quatuor diem eruptionis reliquere incertum; novem quidem die aliquo critico habuere eruptionem,

novem

novem verò die non critico, duo in reſtituta poſt morbum ſanitate : verùm in horum nemine criticæ evacuationis notam ſuſtinuerunt : aut enim in morborum acutorum incremento prodiere ; aut ſi in ſtatu, decrementove, cum ſymptomatibus pravis ; ita ut indè perierint nonnulli, copioſo licet exanthemate tecti, pluresque ſive cortice peruviano, ſive criticis evacuationibus aliis, ſive utriſque, ſervati fuerint : aut judicato, curatoque jam morbo, ſupervenere miliaria, abſque ullo præeunte, concomitante, ſubſequente, ſymptomate.

Hiſce igitur maturè conſideratis, capient facilè ſtudioſi noſtri cur morbus hic à natura rarò, ab arte vel caſu ut plurimùm genitus, etiam noſtro in noſocomio compareat ? compareat autem adeò rariſſimus, ut utroque exanthemate ſimul ſumpto, vix quinquies inibi biennali advertatur ſpatio ? &, ſi numeremus eos modo, qui illud in noſocomio acquiſiverint, unicus modò ſingulo detur anno ? Præterquam quod in hac enumeratione liberalem juniorum quorumdam Medicorum in numerando modum de induſtria imitati ſimus, ne quid cavillent ; haud verò,

ut eamdem approbemus. Si enim pauculas illas maculas rubras, vel purpureas, quas *Sydenham* passim, quas *Boerhaave* pluribus in locis, à petechiis distinguendo ad pessimam humorum corruptionem referunt; si præterea quasvis pustulas miliaceas, sudore genitas, quas patres Græci ἱδρῶα vocarunt, Latini *sudamina*, *papulas sudorum*, quales ut sano in æstivis sudoribus, sic sudantibus ægrotis sæpè obveniunt; si, inquam, hæc omnia ad petechias, & miliaria relegemus, tunc ab orbe condito, per universas mundi plagas, petechiæ & miliaria sunt ἐνδημικώτατα. Hoc autem negatur ab omnibus. Quàm incongruè ergo miliaceis illis sudaminibus, in sudore critico nonnunquàm prodeuntibus, crisin morbi clamitent per miliaria fieri! sed novâ datâ occasione, de hisce latiùs: dives enim differendi seges mihi adest. Capient quoque quantopere præter veritatem mihi objecerint, quod miliaria soleant, *etiam fatentibus nobis*, & diebus prodire criticis, & morbi afferre, omniumque symptomatum, insigne levamen. Contrarium prorsùs ex allatis vident exemplis. Si præterea videant, quæ in hoc ipsum notârint

viri, eruditione aut praxi aut utroque clari, *Pourchon*, *Trumphius*, *Fuchſius*, *Kleinius*, *Hazenöhrl*, *Lautter*, erunt de iis, quæ profero, convicti. Et qui multitudine obſervationum cæteros antecellit *cl. Allionius*, qui ipſus ex profeſſo de miliaribus, tanquàm naturaliter genitis, diſſeruerat, nonne diſertis ſcripſit verbis hæc: » Tertio aut » quarto die, (ambobus criticis) » exeunt puſtulæ, ſeptimo, & octavo, » plerumque lethales: minùs funeſtæ, » quas dies ſexta (criticorum infidiſſi- » ma) affert. Et per manipulos & co- » hortes, incertâ die ac horâ, fit hujus » exanthematis expulſio. »

Jurene ergo, an injuriâ, diſcipuli mei ex *pag.* 60. *Theſ. de Febr. Diviſ.* colligant criticum me pronuntiâſſe miliare exanthema? Conqueror pluries objectiones, quas refutandas ſuſceperam, aut jam refutaveram, nihilominùs tamen veluti meam propriam ſententiam laudari; pari, ni fallor, injuſtitiâ, qua quis *Sydenhamum*, toties calidam methodum refutandam aſſumentem, veluti calidæ methodi celebraret patronum: qua quis aſſereret *Davidem* Regem *in Pſalmis* 13 & 52. Dei negare exiſtentiam, quando impiorum ſenten-

tiam oppugnaturus, referret quid ipſi in corde ſuo dicerent.

IV. *Criſin miliaria referunt*, inquiunt mihi ſtudioſorum nonnulli, *regulariter procedendo, certamque efflorescentiæ, exſiccationis, ac deſquammationis ſervando periodum.*

Sat ſuperque reſponſum, quod ad tertiam objectionem dedi, hanc quartam diluit, ut inſalutatam hanc præterire poſſim. Verùm quum diſcipulis meis nihil non debeo, dabo illis & aliquam hujus objectionis refutationem peculiariorem. Neſcire me fateor quid in mentem venerit ipſis, quod allatis de cauſis miliaria critica vocent? *Hippocrates* ſaltem tale quid, propter has cauſas, criticum non vocâſſet. Graſſabatur populariter *Perinthi*, *Epid.* 2. *pag.* 1020. febris ardens, quæ ut plurimum die 14. judicabatur ſudoribus, at verò in ipſa æſtate ſudores jam à principio comites habebat; præterea-que die 7. (critico) die 8. (non critico) die 9. (critico.) » Τρηχύσματα ἐν » τῷ χρῶτι μεγχρώδεα, τοῖσιν ὑπὸ κωνώπων » γινόμενοις μάλιστα ἴσελα ἀναδήγμασιν, » ἢ πανὺ κνησμώδεα. Aſpredines in cute » miliaceæ, culicum morſibus maximè » ſimiles, oboriebantur, haud multum

» tamen prurientes. Ταῦτα διετέλει μέχρι
» κρίσεος : hæc ad uſque criſin perſeve-
» rabant. » Ergo erat ſymptoma peculiare in hac febre ardente, quod & diebus criticis, & non criticis efflorescens, perdurans diù, & periodum diſparendi ſervans, morbum nedum judicabat, verùm ad morbi criſin, nempè ſudorem, diſparebat. Ergo exanthemata regulariter procedentia. certamque efflorescentiæ, exſiccationis, deſquamationis, periodum obſervantia, nec *Hippocrates* nec ulli in hunc *Hippocratis* locum commentatores, ad criſeos naturam & genium eâ de cauſâ retulere.

Plura ſane hoc in textu nos *Hippocrates* docet. Ac *primò* quidem, ut jam dictum, regulas creſcendi evaneſcendique ſervantem efflorescentiam, minime tanquàm criticam, ſed tanquàm merè ſymptomaticam, conſideravit. *Secundò* criſin neutiquàm huic tribuit, aſt ſudoribus diei 14. *Tertiò*, in hac ardente febre, quæ tam benigna, ut ipſe teſtetur illam nihil habuiſſe maligni; & ut, licet ab initio ſudores perperam adeſſent, tamen pauci indè morerentur; in hac, inquam, febre, adeò benignâ, agnovit

excretiones dari ſymptomaticas; contra illorum ſententiam, qui ideò negent ſymptomatica poſſe miliaria haberi, quod ſæpè in benignis acutis contingant, ut quibus illi credunt tantam humorum non dari degenerationem. Et morbum benignum ſalutavit *Hippocrates*, & in benigno morbo exanthemata deſcripſit ſymptomatica.

Dum igitur accuſamur quod criſin acutæ febris non miliaribus, ſed aliis, aut ſimul, aut poſtmodum contingentibus evacuationibus adſcribimus, auctore id facimus *Hippocrate*. Ut enim ille agebat in deſcripto exanthemate, ita nos ſymptomaticam petechiam ac purpuram habemus, eo quod utraque die erumpat & critico, & non critico; quod eruptio in die critico pejor ſæpè demonſtretur, quàm in non critico; quod cum eruptione, poſtque eamdem, morbus ſæpè ingraveſcat, morbique ſymptomata; quodque, etiamſi morbus in melius vertatur, tamen ea in meliorem converſio minime exanthemati ſymptomatico, ſed aliis criticis perturbationibus & evacuationibus potiùs adſcribunda ſit, quæ morboſam eliminantes materiem, ſimul illud ſymptomaticum crudumque exanthe-

ma, quod ſecundum *Allionium, pag.* 44. coctionem non patitur, pellant foràs.

V. Attamen inſtant : *Symptomatica dici hæc exanthemata nequeunt, eo quod ſymptomatica, ſi modum excedant, ſupprimere, minuere ſaltem, liceat, oporteatque : nunquàm verò miliaria ; ni mortem velis, pejorave morte creare ſymptomata.*

Profectò ut ſymptomaticos in acutis ſudores, ut *Sydenham* & collegæ ſui petechias, ita *Allionius*, noſque cum ipſo, ægrorum è lecto exemtione, venæ ſectione, enematibus, cortice peruviano, ſymptomaticos hoſce motus moderamur cum bonis ægri rebus, totoſque auferimus. Ergo ſunt ſymptomatica exanthemata.

VI. Comparant Medicinæ tirones *miliaria ac petechias cum variolis & morbillis, naturali ortu, progreſſu, effectu ; id me perperam negâſſe arbitrati, quando ſcripſi variolas & morbillos non ſupervenire miliaribus ac petechiis, ſic ut penitùs prodeant, creſcantque, quemadmodum quidem hæc illis ; contrarium nempe ex Camerario, & Albrechto, N. C. ſodalibus, demonſtrari.*

Quum tironibus multæ ineptiæ condonandæ ſint, & ad has reſpondebo.

Primò ex quinque rationibus, ob quas comparationem, *libr. de Febr. divis.* negaveram, quatuor suppressere, ac, veluti illas quatuor non adduxissem, unicam quintam arripuerunt. Attamen arripiundæ erant omnes quinque, ut stringeret causa negati. *Secundò* etiam hanc, quam memorantur unicam, mutilârunt. *In Febr. div. pag.* 60. sic scripseram » Variolæ & morbilli non » superveniunt miliaribus & petechiis, » sic ut penitùs prodeant, & crescant, » sicut quidem hæ illis, sed tantum » eo, quo *pag.* 26. dictum est, mo- » do. » Porrò *pag. illâ* 26. dixeram: » Miliaribus enim, aut variolis, aut » morbillis, aut scarlatinis, petechiæ » superveniunt; & vice versâ variolæ, » morbilli, miliares, ad petechias ac- » cedunt, vix elevantes se, mortem- » que denunciantes propinquam. » Communem observationem sic me exposuisse crediderim. Rogo enim practicos quosvis, num eamdem utrimque consuetudinem observent sic, ut eo modo variolæ miliaribus & petechiis superveniant, quemadmodum hæ ambæ illis? Num, quo in loco miliares & petechiæ frequentissimæ sunt, sic in illis Medici expectant variolas & mor-

billos, quemadmodum in variolis ac morbillis, petechias aut miliares? Si igitur nudo, quo ſcripſi, ſenſu verba mea intelligantur, eam referre ſententiam cenſeo, quam tenent mecum Medici omnes. Verumtamen exempla proſtant variolarum petechiis ac miliaribus ſupervenientium. Admitto utique illa; utpote qui ſimile elapſo jam ſexennio protulerim. Sed num rariores exceptiones ſubvertant communes naturæ leges? Tunc nullas leges Medicina haberêt, nullas Phyſica tota, nullas alia quælibet Ars; ſemper enim aliquid eſt, quod extra eaſdem divaget.

VII. *Sed ipſemet ego*, pergunt, *in Febr. Div. pag.* 32. *Miliarem morbum velut idiopathicum, & graviſſimum quidem, deſcripſi, cujus illa eſſet proprietas, ut morboſam materiem ad corporis deferret ſuperficiem.*

Numquid, qui ſic fantur, mea volverunt attentè? Videant ergo revolvendo me morbum nunquàm idiopathicum vocâſſe, ſed deſcripſiſſe talem, qualem natura rariſſimè, cauſæ aliæ numeroſæ paſſim, generent. Minuſne factitia lues venerea eſt, quod auctores ſyphilici eam deſcribant tanquam

morbum graviſſimum, cujus illa proprietas ſit, ut ſolida æquè quàm fluida corrumpat? An inde ſequitur luem veneream morbum eſſe, in quem unuſquiſque ex communibus vulgarium morborum cauſis incidere queat?

VIII. Aiunt mihi Medicinæ tirones ſe Medicos, veteris opinionis tenaces, advertere *acriter invectos, & quotidie invehi, in methodum, quam in exanthematicis tractandis obſervem: ægrè illos ferre me venam ſecare, me ægros lecto eximere quotidie, &, ſi ferant, per aliquot horas in ſedili collocare erectos: me veſicantia admovere, quæ longè acriùs ſolida fluidaque humani corporis agitent, ſtimulentque, quàm, de quibus conquerar, calida ſtimulantia: interea Medicos ſe frequentare, quibus quotannis innumeri exanthematici curandi committantur, qui tamen in febre ſimpliciter miliari venam non tundant; qui Ethmulleri conſilio ægros hoſce compluribus diebus lecto haud eximant, qui veſicantia nunquàm, niſi efflorescentiâ retrocedente, ac debilitato vehementer indè ægro, admoveant.*

Medicinæ tirones, qui his viſis auditiſque in data ipſis doctrina vacillant, manifeſtè docent ſe nec ad ea, quæ

apud alios viderint, nec ad illa quæ in nosocomio nostro sibi demonstrata sint, accuratè satis attendisse; nec sufficienter se utriusque methodi consequentias & effectus ponderâsse.

Profectò in initiis acutorum venam secantem non viderunt me unquàm quando vires verâ debilitate prosternebantur, neque in scholâ Medica didicerunt. At verò observare potuerunt in natione Germanicâ, quæ fluxui hæmorrhoïdum sive naturali sive factitio, quæ frequenti admodum venæ sectioni, plus justo assueta est, quæ vorax præterea, vinoque indulgens ac cerevisiæ est, venæ sectionem in acutorum principio, si nihil vetat, egregiè conducere: neglectu venæ sectionis ex benignis malignos, eosdemque exanthematicos morbos, esse exortos; sic quidem ut notare potuerint ægros, neglectu jam exanthematicos, institutâ ac repetitâ sanguinis non dissoluti, sed verè pleuritici, missione, è mortis ereptos fuisse faucibus. Obliti penitùs videntur confirmatæ toties apud nos observationis *Sydenhamianæ*, de ea apparente debilitate in febribus, cujus cardiacum venæ sectio esset. Ut dubio procul inter causas frequentioris

alibi exanthematis missio sanguinis; acutorum principio neglecta, recensenda veniat.

Deindè causam, cur rarius apud nos exanthema, evidentem semper habui, & indefessus docui, esse quotidianam lecti refectionem: intra quod tempus ægri debiliores alium in lectum transferuntur; qui minùs debiles per horæ quadrantem, horam, horasve complures, &, si ferunt, bis die, in majore ac commodiore sedili collocantur. Hinc toties videre mecum auditores, plures ægros, quibus omnia symptomata, futuri exanthematis præsaga, adessent, febrim duntaxat acutam, minime exanthematicam, sed sæpè benignam, esse perpessos. Viderunt mecum alios, erumpente exanthemate ad nos allatos, tolerabiliter valdè morbum hac methodo tulisse, nec quemquam quid detrimenti indè unquàm passum esse. Ita ut longè alia & penitùs contraria à nostra methodo observaverimus, quàm apud alios divulgetur.

Nec insolita hæc nostra ratio, nec nova est. Summorum in Medicina virorum est celebratissima. Docuerat nos eamdem dictis factisque immortalis

Sydenhamus. Tempore febris contagioſæ varioloſæ, adeò abhorrebat ab ægris ſuis lecto addicendis, *ut ejuſdem addictionis effectus compararet cum intempeſtiva cardiacorum eodem in ſtadio exhibitione.* Sufficiebat ipſi, nec, ubi rerum arbiter erat, unquàm aliter conceſſit, ut ægri cubiculi ambitu ſe continerent, *à lectulo, æquè quàm à cardiacis, abſtinentes:* quarto verò die lecto adjudicabat: porrò ſi benignæ ac diſcretæ eſſent variolæ, & calida tempeſtas, *quotidie per aliquot horas lecto exemtos detineri curabat.* Quo demùm effectum, ut feliciter morbi progreſſus ac maturatio fieret, ægrique longè minore cum tœdio morbum perferrent. Sin verò aut frigidior anni tempeſtas, aut eruptio copioſior id minùs concederet, lecto quidem eoſdem detinebat, verùm & moderatè tectos, &, foco in camino mediocriter, biſque die dùntaxat, accenſo, quando hyems ſcilicet ingrueret, locum in lecto ſæpè mutare jubebat, ne ad pernicioſos hîc ſemper ſudores cogerentur.

Sed *Sydenhamo* objiciebant, quod nunc mihi; multos methodo prorsùm contrariâ tractatos nihilominùs con-

valeſcere. Reſpondebat vir candidus negari tamen non poſſe, quin quoque plurimi illâ contrariâ methodo interirent, pluresque adhuc interituros, niſi vel à frigidiore tempeſtate, in quam fors inciderit morbus, vel à phlebotomia, ſervarentur: tumque notabile hoc addit: » Ex dictis, ut » obiter attingam, facile erit vulgare » illud problema ſolvere, quî fiat ſci- » licet, ut perpauci adeò è plebe hoc » morbo pereant, ſi ad eos comparen- » tur, qui inter divites eodem *truci-* » *dantur*? Quod quidem vix ad aliam » cauſam poteſt referri, quàm quod » ob rem domi anguſtiorem, & agre- » ſte vivendi genus, vix fiat illis copia » ſibi nocendi, regimine magis accu- » rato, ac delicatiore. »

Quando nunc *Sydenham* in valdè confluentibus ægros lecto addicebat, veniam concedebat ab hac in illam lecti partem corpus pro arbitrio ſuo transferendi, eoſque, febre maturatoriâ adpetente, ad id ſeriò monebat; imò per alios curabat illos in lecto verſari. Si autem facies in diſcretis ad 8. diem flacceſſeret, ac palleſceret, ſudorque bonus eo tempore ceſſaret, & phrenitis oriretur, præter venæ ſe-

ctionem, & paregorica, asseverat sæpè se ægros ab imminente morte præservâsse liberiorem auram illis conciliando; quo ut ritè fruerentur, illos lecto aliquantisper surgere jubebat. Confirmat autem experientiam suam exemplis phreniticorum, qui post sedulitatem irrisam custodum externo aëri frigido, eique nocturno, se exponendo, servati sint; & exemplo juvenis, quem in variolis mortuum nunc à phrenitide habitum, lectoque exemtum, & in mensa, ut cadavera solent, positum, aër frigidior in vitam quasi revocaret. Coma variolosum eadem ratione tractans, *eadem sanguinis contemperatione*, inquit, *& maculas purpureas vidi sublatas.* Urinæ suppressionem in variolis, acutisque aliis, ægrum lecto eximendo meliùs, quàm per omnia alia remedia, curabat. Conqueritur alio loco vir præstantissimus, incautioribus quibusdam necesse videri, ut ægri in variolis lecto affingantur, eo quod sudores, in quos illi proclives, tum faciliùs indè manarent, tum æstum moderarentur febrilem; ubi tamen sole evidentius esset, quod exsiccato hinc corpore ad diem undecimam quamplurimi vitam cum morte

transmutarent. In malignis variolis, non ductus opinione, sed experientiâ firmatus, asserebat » nec venæ sectio-
» nem, nec medicamenta diluentia, &
» refrigerantia, per se periculum au-
» ferre; plus verò expectari oportere
» ab aëre moderato ac renovato: sic
» quidem ut non, nisi nocte, lecto
» committendi essent, quibus con-
» fluentes illæ anomalæ variolæ eruptu-
» ræ prævideréntur. Et in genere con-
» fluentium semper usque in tertium
» & quartum eruptionis diem vix,
» nisi nocte, lectum ægris concessit;
» sexto autem morbi die, scilicet ter-
» tio aut quarto eruptionis, quum
» ægri præ debilitate abstinere lecto
» de die vix poterant, eosdem, &
» ob virium defectum, & ob suffi-
» cientem pustularum copiam, lecto
» addicebat; eâ tamen lege, ut non
» plus tegerentur, quàm sani consue-
» verant, & in lecto se verterent sæ-
» piùs, verterenturque, ne sudores,
» hîc adeò noxii, prolicerentur. Quare
» & ipsos infantes cunis sæpè eximi cu-
» rabat. »

Patet igitur evidenter *Sydenhamum* haud solos eos condemnâsse, qui aëre ac stragulis in lecto calefacerent, ve-

rùm etiam hos, qui ægros in lecto ſimpliciter detinerent. Hoc porrò inculcavit, ac repetivit, urſitque, ſincerus ille & candidus vir, toties, ut hujus articuli neceſſitatis ipſum oportuerit penitùs convictum fuiſſe. Hoc ipſum tanti fecit, ut judicaverit non modo fruſtraneam ſine eo eſſe reliquam antiphlogiſticam curam, verùm etiam ut deſcripturus in *Schedulâ monitoriâ* ſingularem epidemicam febrim, in qua *malâ paſſim arte* gigni obſervabantur petechiæ, maculæ purpureæ, miliaria rubra » quæ licet ſponte ſuâ » *nonnunquàm* ingruant, *ſæpiùs* ta» men lecti calore & cardiacis *extor*» *quentur* » hæc ſummè notanda verba adjungat: *Æger jugem in lecto decubitum, quantumvis leviſſimis ſtraguli coopertus ſit, non ſine magno ſuo periculo experitur.*

Hæc porrò incomparabilis ille veteranus multiplici annorum ſerie, non ex ludicrâ cerebri phantaſiâ, ſed naturâ duce, didicerat, innumerabiliterque viderat confirmata. Quicumque deinceps naturam imitati in medendo, *Sydenhamiana* veriſſima invenerunt. Et quod luculentius teſtimonium *Boerhaaviano? Variolarum adeò*

accurata Sydenhami descriptio, ut decies legi merenti, pauca modo addenda habeam. Aphor. 1379. Quicumque Medici in schola Boerhaaviana Medicinam edocti, & cum *Boerhaavio Sydenhamum* secuti, nihil non exactè verum ibidem deprehenderunt. *Boerhaavii* jam senescentis discipulus, cum publico communicavi in *tomo* 2. *Rationis Medendi*, *cap.* 3. & in tractatibus quos de variolarum insitione conscripsi, propriam meam annorum multorum in variolis praxin, quæ Sydenhamianis, & ad hæc adjectis *Boerhaavianis*, ad utraque autem additis propriis observatis innixa, felicitate curandi demonstrat, quàm tutò ac proficuè hâc viâ eatur. Pediluvia bis die per universum morbi tempus à *Boerhaavio* ad methodum *Sydenhami* addita, quum eo tempore ægri in lecti crepidine, si debiliores; in sedili, si firmiores, erecti collocentur, adeóque atmosphæram adhuc frequentiùs mutent, hæc, inquam, utilitate suâ magnopere se commendaverunt.

Quid quod etiam hæc praxis à multis illorum confirmetur, ac laudetur, qui oppugnent eamdem? Obruta Europa fuit dissertationibus de inoculan-

di variolas præſtantiâ, eo præter alios ſine ſummopere commendandâ, & ubique introducendâ, quod ſedeant, quod ambulent, quod ludant, quod curſitent ſuo in cubiculo inoculati, tam in febre contagioſa, quàm poſt plenam eruptionem; ſic ut ne ægrotare quidem videantur, neve metus retropulſionis adſit ullus. Provoco ad complures ſcriptores, qui hujuſmodi narratiunculis ſuos delectârint lectores. Quid igitur metuatur ne benigna miliaria, quibuſcum ægri, ut aiunt, vix ægrotent ſæpè, retrocedant, retrocedendoque necent? quid metuant ne erupturum quod creditur exanthema, extra lectum haud ſatis pellatur foràs? An quod, ut ſuo jam tempore dolebat & conquerebatur *Hoffmannus*, exanthema miliare *factitium* ex facili retrocedat & necet? hoc aliquando contingere cum *Hoffmanno* & *Sydenhamo* arbitror in petechiis ac miliaribus factitiis, nec non in variolis atque morbillis, quos copiâ ac malignitate methodus prava auxerit; cæterum quod *Sydenham* teſtatur, id plures mecum videre Medici, variolas, petechias, miliaria, copioſiſſima in denatis confertiſſimaque extare; ſic ut mors eo-

rum retropulsioni tribuenda non esset.

Dolendum interea est, quod exultans olim de excusso hoc pulvere Medicina, *Sydenhami* potissimum ac *Boerhaavii* laboribus, nunc denuò eodem conspergi contegique sic videatur, ac si nunquàm fuisset excussus. Olim honori ducebatur magnorum horum virorum inhærere vestigiis; ab illis verò discrepare in gravioribus rebus, dedecori. Summâ cum voluptate horum vituperia, illorum encomia, legimus apud ill. *Hallerum in Comm. super Methodum Studendi Boerhaavianam.* Nec horum solummodo, sed & illorum, qui, antequàm Medicina hoc inclytum virorum par venerabunda suspiceret, vel ob communem cum iisdem sententiam humano generi profuerant, vel ob contrariam nocuerant. » Ab eo » viro, (*Helmontio*) in *Sylvium*, » alioſque Medicos, amor transiit an» tacidorum, quibus innumeræ malæ, » in Germaniâ imprimis, curationes » peractæ sunt. » *Hall. pag.* 888. » *De J. D. Horstio Prof. Magdenb.* » Extant » etiam practica, & non mala aliqua, » ut calidæ curationis in variolis refu» tatio. » *Pag.* 891. Et » *Franciscus* » *de le Boe Sylvius, Hanovienſis...*,

» egregius .... auctor, tot laudes cor-
» rupit novâ ad Helmontianam natâ
» theoriâ, quo omnes ferè morbos,
» & acutos omnes imprimis, ab acido
» deduxit, alkalinis verò, & quidem
» volatilibus, ſanare voluit; negle-
» ctâ interim, aut non ſatis laudatâ
» venæ ſectione atque refrigerante
» diætâ. » *Pag.* 894. » *Thomas Syden-*
» *ham* meruit poſt *Hippocratem* primo
» loco recenſeri, *non à grata ſola poſte-*
» *ritate*, ſed dum inter vivos fuit. Eam
» laudem ſibi peperit, quod *ab omni*
» *hypotheſi purus*, omnem laborem
» ſuum unicè obſervandis morbis im-
» penderit, eorumque curationem ab
» ipſa per felices eventus, inprimis
» præeunte naturâ edoctus, propoſue-
» rit; febres autem, rejectâ inani ve-
» neni ſpecifici aut acidi hoſtilis theo-
» riâ, in univerſum per acida atque
» refrigerantia expugnare doçuerit. »
Pag. 895. » *G. H. Welſch.* .... in praxi
» ſecutus eſt vulgarem ſui ævi metho-
» dum. Calida & bezoardica dedit in
» febribus. » *Pag.* 897. » *J. Michaëlis*,
» Profeſſor Lipſienſis de chemica ſecta,
» magnus medicamentorum compoſi-
» torum calidorum & ſudoriferorum
» inventor, & ex eo ipſo patriæ non

» utiliſſimus, quæ his alioquin nimis » indulget. » *Pag.* 897. » *Caſp. Theophi-* » *lus Bierling*, parùm latinus homo, » & deditus formulis, quarum vim » non mediocrem ſub finem ſubjecit, » *non tamen abſque judicio fuit, qui* » *præter ſæculi morem, in Germania* » *imprimis* raro exemplo venam in va- » riolis ſecuerit, calidam curationem » rejecerit. » *Pag.* 901.

Et quid volupe magis, quàm ea encomia legere, quibus *Sydenhamum* ſequaceſque ejus, inſatiabiliter extulit ill. noſter præſes? Videatur ad §. 715 & 716. *Aph. Boerh.* ubi, poſtquàm in ſudorum in acutis expulſionem, uſumque croci, aliorumque calidorum remediorum, acriter animadvertiſſet, hæc demùm addidit: » Legi merentur » de hac re illa, quæ paſſim in ſuis » operibus habet *Sydenhamus*, qui ge- » neroſo auſu primus, & ſolus ferè » ſe huic torrenti oppoſuit, & PERNI- » CIOSAM HANC MEDENDI METHODUM » GRAVISSIMIS ARGUMENTIS DEBELLA- » VIT, ILLIQUE CONTRARIAM FELICI, » IN PERICULOSISSIMIS ETIAM MORBIS, » EVENTU STABILIVIT. » Et ad problema *Boerhaavii* §. 698. *Cur lecti, aëris clauſi, victûs, medicamentorum*

calor, adeò hîc noceat? » Perver-
» sa hæc methodus, inquit præses,
» inprimis invaluit, quia Medici
» quondam fuerunt in hac opinione,
» per sudores tutissimè febrilem ma-
» teriem de corpore eliminari posse;
» atque ideò, tepore lecti, corporis om-
» nem superficiem fovendam semper
» voluerunt. Verùm uti optimè de-
» monstravit *Sydenhamus*, in fine mor-
» bi, cocta & subacta morbi materies
» sic quandoque expellitur; in morbo-
» rum verò initiis, importunâ arte sic
» expressis sudoribus, liquidissima pars
» sanguinis difflatur, & *MORBI SEM-*
» *PER IN PEJUS RUUNT*. Undè huic
» torrenti se generosè opposuit magnus
» ille vir, solus tunc ferè. » Et ad §.
610. ubi *Boerhaave* scribit: *Si itaque exorbitare deprehenditur circulatio, moderamen fit abstinentiâ, victu tenui, potu aquæ, aëre frigidiusculo .... medicamentis blandis refrigerantibus*; sic ill. commentator habet: » Elapso sæ-
» culo Medici ferè omnes erant in illa
» opinione omnes febres tutissimè &
» citissimè sanari posse per diaphoresin.
» Hinc in calidissimo aëre ægros deti-
» nebant, stragulis tegebant, imò
» obruebant, ut nempè sota corporis

» ſuperficies hoc calore, ſudoribus
» emittendis foret aptior. Verùm ma-
» gno ægrorum damno ſic ignes ignibus
» addebantur, & enormiter exacer-
» babatur febrium impetus. Omnium
» maximè verò huic methodo inſiſtebant
» in illis morbis, quos cutaneæ erup-
» tiones comitabantur, quales ſunt
» variolæ, morbilli, &c. Primus ferè
» ſe huic torrenti animosè oppoſuit
» *Sydenhamus*, atque paſſim in ſuis
» operibus indicavit nihil perniciosius
» eſſe. »

Et quid miremur illuſtriſſ. viros *B. van Swieten*, & *Hallerum*, in *Sydenhamo* celebrando adeò fuiſſe profuſos? Laudes viri antea paucis verbis omnes inclytus comprehenderat *Boerhaavius*, *in Orat. de Commend. Stud. Hipp.* dum primùm conqueſtus quod inter recentiores de *Medicinæ uſu* ſcriptores, pauci, ſi ulli eſſent, veterum perfectionem attigiſſent, quum tamen priſcos in cæteris artis noſtræ partibus longè ſuperâſſent, in hæc verba erumpit: » Unum eximium habeo, *Tho-*
» *mam Sydenham*, Angliæ lumen, artis
» Phœbum, cujus ego nomen ſine ho-
» norifica præfatione memorare eru-
» beſcerem: quem quoties contemplan-

tur,

» tur, occurrit animo vera Hippocra-
» tici viri ſpecies; de cujus erga Rem-
» publicam Medicam meritis nunquàm
» ita magnificè dicam, quin ejus id ſit
» ſuperatura dignitas. »

At quorſum hæc, fortè inquient, de *Sydenhami* laudibus aberratio! Ut miremur hodiernam praxin eo iterùm ruere præcipitem, undè *Sydenhamus*, virique poſt illum in praxi ſummi, eamdem tam fortunatè eripuiſſent; hodiernam, inquam, praxin ſic tradi, colique, ac ſi ingentes illi, quos laudavi, viri, ejuſdem regulas, naturâ duce inventas, nunquàm poſteris tradidiſſent; venerandaque eorum nomina in tradenda praxi vix ampliùs reſonare. Doleo artis fata! Interim probè noſcant genuini omnes artis filii, dum alienam à laudatiſſimis his viris praxin coli cernant, ex meâ ſaltem ſchola petitam non eſſe; ut qui primùm in mandatis habeam Boerhaavianum, id eſt Sydenhamianum, id eſt Hippocraticum puræ naturæ ſtudium, unicè tradere cum theoreticè, tum practicè; ſecundò, ut qui, etiam citra tale mandatum, nunquàm aliam doctrinam traditurus eſſem, quàm eam, de cujus uſu & certitudine tan-

torum annorum praxis certiſſimum me reddiderit. Undè etiam nunquàm me defuturum polliceor, quin maſculam hanc medicinam tuear voce, & calamo, contra quoſcumque.

Ut autem difficultatem hanc VIII. demùm abſolvam, debeo adhuc *veſicantia* tueri in acutis. Poſtquàm *Aretæus Cappadox* fortè primus iiſdem Medicus uſus eſt, Medici plerique eadem magni fecerunt; quum verò, quemadmodum cum cunctis medicamentis comparatum eſt, haud omnibus ex æquo prodeſſent, *Caji*, *Maſſariæ*, *H. de Saxonia*, *Terilli*, *Baglivii*, *Hoffmanni*, *Veratti* operâ, uſum abuſumque illorum ritè intelleximus, obſervatione practicâ propriâ ad eas clariſſ. horum virorum adjectâ, conſtat mihi evidenter, veſicantia prodeſſe, ubi vis vitæ debilior, quàm ut morbum coquat; deindè, quando intentio eſt certam corporis partem irritare ſic, ut in eamdem major calor, rubor, dolor, humorumque advocetur & acceleretur affluxus; quo demùm, quæ pars à morbo præcipuè afficiebatur, ea minùs humorum accipiat, multaque vis morbi ex reliquis corporis partibus in unam veluti derive-

tur : præterea quando topicus dolor, cæteris immoriger auxiliis, irritandus eo fine eſt, ut, qua doleat, materies attenuetur, diſcutiatur, pellaturve foràs : forſitan quoque quando in nervis aut motus tumultuarius, attenuatâ ac diſpulſâ agitante eoſdem materie, moderandus; aut ſufflaminatus, ſtimulo agitandus eſt. An evacuationibus aliis ſufficienter inſtituris, diſſolvant quoque cruorem phlogiſticum? Sapientioribus hoc determinandum relinquo, id modo teſtatus, quotieſcumque dolorem pleuriticum, ad phlebotomias iteratas, cæteraque auxilia immorigerum, veſicante brevi ſuſtulimus; quando veſicans mihi in pleuroperipneumonia omnem brevi ſedavit dolorem, febrim non modò non intenſiorem, ſed moderatiorem fuiſſe, multóque faciliora ſputa prodiiſſe. Proximè autem ad veſicantia qui accedant, dropaces, phœnigmi, ſinapiſmi, hùc quoque referendi ſunt. Veſicantia præprimis in parte quam rubefaciunt, ſolutis epidermidis cum dermate vinculis, veſiculas excitant, quæ, maligniores ſi exceperis acutos, laticem, qui ad ignem concreſcit, continent.

Ex phænomenis enarratis deſtruun-

tur ratiocinia praxeos vacua, quasi calorem in corpore præparato excitarent, eo, qui à calidis alexipharmacis excitatur, formidabiliorem. Undè in præparatis, ut semper requiro, corporibus, ad intolerabiles capitis dolores, ad coma utrumque, ad deliria, ad pungentes dolores pleuriticos, ischiadicos, &c. salubriter adhibentur, humorum minime indè aucto motu. Et dum *Sydenham* in variolis consueseceret allium pedibus adhibere, dum nos aut idem aut simile admovemus, sic calorem dolorem, & metuendam adeò in variolis phrenitidem, minui observamus, ut eamdem ob causam febris ipsa adpareat moderatior. Quare & per totum variolarum decursum hæc salubriter adhibentur. Itaque si quis rogâsset *Sydenhamum*, quid sibi vellet *execrationibus* suis in alexipharmaca, quæ tam parcè dentur, ut qui in eadem invehatur, de lana disputet caprina; ubi ordiri debuisset ab execratione vesicantium? Utique solitâ modestiâ suâ vir candidus respondisset, se à calida methodo experiri in febribus caloris augmentum, à vesicantibus autem & epispasticis, post requisitas evacuationes admotis, haud mo-

dò non auctum, ſed imminutum calorem; hîc ceſſare oportere ratiocinia; hîc ſolam conſulendam eſſe, quæ jugis ac ſedula ad lectos ægrorum, & minime in muſæo, comparetur, experientiam.

IX. Quædam ſuperſunt minoris momenti in diſcipulorum objectionibus, ad quæ tamen & ipſorum, & veri amore, reſpondendum eſt. Ac primò quidem referunt mihi *à multis falſam haberi, quam ad corroborandam ſententiam meam à R. R. Fratribus Miſericordiæ mutuaveram, obſervationem : vigere quippè apud ipſos eodem ſemper modo ut olim, & olim ut nunc, exanthematicos morbos.*

Quæ de raritate miliarium in noſocomio monaſterii horum fratrum in *Tract. de Febr. Diviſ.* cum publico communicavi, hæc ex diariis depromſeram, quæ ſuos in uſus ſibi exaraverat rev. frater *Bertrandus*, noſter collega expertiſſimus, confirmata teſtimonio reliquorum fratrum. Conſervavi hæc mihi, ut cui lubet oſtendere ea poſſim. Qui verò dubitet de diariorum illorum fide, me imitetur, olim ſubdubitantem; & ut ego tunc, & poſtea, & haud ita pridem, ita

ipse monasterium intret, examinetque ægros; inter 140. 150. quorum plerique acutè degunt, sæpè 1. 2. 3. sæpè nullum, quem miliaria tegant, inventurus, idemque ab expertissimo viro, digniſſimo illius nosocomii physico *Guarin*, cunctisque confirmari fratribus, auditurus: qui & id addent, quos paucos exanthematicos habeant, iis dudùm domi aut neglectis, aut pravè tractatis, exanthema jam paratum, expulsumve fuisse, antequàm ad ipsorum deferrentur nosocomium.

Ergo resumo, quam olim feceram, conclusionem: Si non à causis peculiaribus, quas toties jam memoravi, verùm à causa cunctis communi miliaria orirentur, fratres Misericordiæ iisdem, æque ac alia nosocomia quædam, scatarerent: atqui sæpè raros, sæpè nullos, in tanta acutorum ægrorum turba habent eisdem affectos. Ergo.

Inquisivi sæpiùs in methodum ipsorum, & tractatu de *Febrium Divisione* plurima dixi. Id modo & exp. physicus, & fratres, addunt, quod nulla dies sit, in qua ægrorum lecti non bis penitùs reficiantur, nisi vires id omninò vetent. Quantum id ad avertendos cutaneos morbos in acutis conferre debeat, de-

monſtravit ſupra *Sydenhamus* ; demonſtrat experientia quotidiana.

X. Objiciunt ſtudioſi *à me in Gallicâ ad amicum epiſtolâ minùs fideliter ex lingua Latina in Gallicam verſum eſſe textum Lautteri ; ſiquidem illo maximam partem miliarium factitiam ſcribente, ego illud pro* maximâ parte *in transferendo omiſerim.*

Fateor illud *pro maxima parte* omiſſum eſſe, ſed negligentiâ, non verò peculiari intentione : quum enim tantum hoc probandum ſuſcepiſſem, quod miliaria *pro maxima parte* factitia eſſent, non indigebam Lautterianâ experientiâ, niſi quatenùs idem, quod ego, probaret. Demonſtraturus quippè quod idem ille, quod ego, diceret, fruſtrà plus dicentem induxiſſem. Sed ridiculum eſt nugis ejuſmodi inhærere. Oporteret alioquin rogare num is, qui in eodem textu Lautteriano Gallicè vertendo, ubi in Latino eſt, *ad incitas* ferè *redactus*, redderet *déja réduit à l'extrémité*, omittendo *preſque*, an, inquam, talis homo aut aliâ editione operis Lautteriani uſus eſſet, aut malitioſiùs illud *fere* omiſiſſet ?

XI. Laudantem me ore ſcriptiſque egregii *Hazenohrli* opus ſuper hac ma-

teria mirantur ſtudioſi, quum videatur ipſis hic auctor ſibi minime conſtare. *Primò quod ſcripſerit anno* 1760. *pauca ſibi obtigiſſe miliaria, dum interim ipſi ſtudioſi Hiſpanicum noſocomium frequentantes, copioſam mihi miliarem repererint.* 2°. *Miliaria in noſocomio eodem ſtudioſi viderunt & benigna, & morbi cum emendatione, ut capere proindè nequeant cur Medicus ille eadem critica eſſe neget.* 3°. *Eumdem qui ſcripſerat anno* 1760. *pauca exanthema ſe vidiſſe, mox aſſerere quod multoties, quod ſæpiùs, emicuiſſe viderit.* 4°. *Illa ſaltem exanthemata factitia appellari neutiquam poſſe, quæ nec ipſi auctori ibidem phyſico, nec ejus Chirurgo, pepercerint.*

Ut paucis multa comprehendam, an me mecum diſſentientem ſincerus homo ſuſpicabitur, dum in cathedra v. g. dico pauca miliaria mihi in noſocomio obtingere, & dum paulò poſt auditoribus aſſero me in urbe, ac ſuburbiis, eadem ſæpè, multoties, pluries, emicantia obſervare? Ita nullam in libro egregii hujus Medici contradictionem infert, quod pauca miliaria viderit in ſuo noſocomio, quod plura viderit alibi, ſive in alte-

ra ſui noſocomii parte, cui non præerat ipſe, ſive in ſua privata praxi. Quin quod eadem in *multis* non critica, *multoties* cum morbi gravamine contingentia aſſerat, an id eodem ipſo anno, & non potiùs multorum ſerie didicerit annorum? Quod verò *ſæpiùs* ſtudioſi miliaria apud ipſum viderint, quod viderint etiam *benigna*, nemo inficias ibit, qui noverit quoties turmatim milites ad ipſum deferrentur, quibus exanthema jam erupiſſet, aut in procinctu ſtaret; haud verò multa ipſi apud eum videre tunc, quando pauca haberet. Quod Chirurgus ejus gravi exanthemate anno 1760. decubuerit, quid mirentur? Debuerat is etiam alteri noſocomii Hiſpanici parti proſpicere, ubi exanthema erat *epidemicum*, ut publica ſcripta teſtantur. Qui igitur inter exanthematicos diu noctuque verſabatur, numquid eumdem demùm exanthematicum mirari oportet? ſed an concluſio legitima eſt; quia ille Chirurgus in parte ea noſocomii Hiſpanici, ubi exanthema epidemicum, etiam exanthema contraxit; ideò etiam exanthema plurimum fuit in qua parte noſocomii *dominus Hazenohrl* Medicinam facie-

bat? An quod eruditiſſimus ille noſocomii phyſicus anno 1757. diu noctuque inter exanthemata verſatus, demùm contagione iiſdem quoque graviſſimè corriperetur, concludere poſſint exanthema etiam frequens apud ipſum triennio poſt animadverti oportuiſſe? Aut quod illi bini ex contagio in exanthematicos morbos inciderint, ideò non eſſe verum quod factitia exanthemata dentur? Neſcio demùm, quid ſibi velint.

Quod autem clarus idem vir miliaria, unà cum aliis evacuationibus coctis erumpentia, neget critica eſſe, nec his, ſed evacuationibus illis aliis, criſeos concedat prærogativam; id ideò fecit, quia aliter facere Medicus rationabilis non poteſt. Sat ſuperque probatum eſt miliaria & petechias nunquàm critica, ſemper verò eſſe ſymptomatica: demonſtrationes pluries attuli. Quid ergo de iiſdem, unà cum aliis bonis evacuationibus conſpicuis cogitandum, niſi quid pravum, quid indomabile, bonitate naturæ ſimul expelli de corpore, dum cocta expelluntur. *Hippocratis* alumni, dum ad ſudores criticos, urina tenuis nigra; dum ad hæmorrhagias criticas,

gangrænoſa alvus; dum ad alvum criticam, ſputa ichoroſa ſimul compareant; criticam evacuationem ſalutamus, non peſſimam quamque crudam, ſed verè coctam; unà gaudentes naturæ robur tale, ut, cum optimâ evacuatione, ſimul corrupta & nocitura eliminentur.

Sed offendit illos hæc explicatio, eo quod apud exp. virum hunc viderint miliaria admodum benigna; adeóque non ea, quæ cum urinis nigris, cum gangrænoſa alvo, cum ſputis comparentur ichoroſis.

Profectò videre benigna talia, ſed etiam viderunt, benignis copioſiora, maligna. Quid ergo ex illis paucis benignis concludant oportet, niſi, quemadmodum apud me pluries alvum criticam, cum pravo ſputo, in pectoris inflammationibus ſic viderint, ut aliquando valde mitis morbus appareret, faciléque alvo judicatus & urinis; ita miliaria, quantumvis mala & ſymptomatica, citra ulla malignitatis indicia adeſſe poſſe, & morbum aliis criticis evacuationibus benignè ſolvi ac judicari?

Rogant me an ſaltem illa miliaria, quæ, criſi jam jam factâ, & doctiſſ.

Hazenohrl, & ego, vidisse nos testamur, non sint verè critica, aut metacritica; qualia plura *Hippocrates* descripserit, quando à priore crisi morbi materies haud fuisset eliminata sufficienter?

Quod toties demonstratum est criticum dici minime posse, non potest iterùm assumi, ut criticum: adeóque inanis tota hæc quæstio est. Sed undénam ergo illa miliaria, judicato penitùs morbi? Fortè à contagio. Si homo levi venereo contagio, nec dum se manifestante, affectus, in morbum acutum inciderit, morboque absolutè judicato, prodeuntem gonorrhœam aut bubonem percipiat, utique non vocabimus gonorrhœam aut bubonem morbi acuti, jam judicati, crisin, sed effectum contagionis ante morbum contractæ.

Contagium porrò miliarium in urbe, quæ iisdem adeò scatet, contrahere facile est; quandiù verò in corpore latere possit, antequàm effectum edat, incertum. Sufficiat contagia alia nosse, quæ diù lateant. Rabidi canis, insitarum variolarum, veneris impuræ, contagia sæpè brevi, aliquando multo latuisse tempore, antequàm in

nervum erumperent, practica obſervata demonſtrant.

An miliaria tamen talia prodire, poſt criſin acuti morbi abſolutam, ſic poſſent, ut nulla ægritudo obſervaretur, nullave febris?

Profectò poſſent, quum deſcribantur apud auctores miliaria dicta chronica, quæ vel in ſanitate illibata, vel perfecta morbi criſi, homines ſic adoriantur, ut ſæpè non ægrotent. Provoco ad teſtimonia publica. Inducor ferè ut credam chronica miliaria, quæ in aliis cum nonnullis incommodis, ſine febre; in aliis ſine febre, aut ulla moleſtia, ut v. g. ſcabies, ſæpè efflorescunt, plurimum deberi ejuſmodi contagio, quod diutiùs breviúſque latens, demùm chronicè efflorescat, ut *Hazenohrlus*, ut ego, poſt abſolutam acutorum criſin aliquoties obſervavimus.

Sed nondùm finis objectionum. Vehementer Medicinæ tironibus diſplicent hæc ejuſdem auctoris verba: » Sed vidi *multoties* illos, qui confer» to exanthemate ſcatebant, graviùs » longè ægrotâſſe iis, qui pauco ma» cularentur: » Rogant me an ejuſmodi ratiocinium non ſit practicis

contrarium obſervationibus ? Multoties, inquiunt mihi, vidimus, qui copioſa ſputa redderent in morbis pulmonicis, graviùs longè ægrotare iis, qui pauca expuerent : Vidimus, aïunt, *multoties* homines febre ardente detentos, qui in die critico egregiè ſudantes, graviùs longè ægrotarent iis, qui parùm tantùm. Numquid indè juſtè quis concludat nec ſputa, nec ſudores, criticè morbos judicare ?

Benignè ferant Medicinæ tirones, me reſpondentem, ſi ad acutorum criſes in noſocomio meo attentiorem animum adplicuiſſent, ſi Hippocraticæ doctrinæ vel leviſſimam conſervâſſent memoriam ; ſe talem objectionem mihi facturos non fuiſſe. Etenim dum die critico bonæ contingunt, copioſæque evacuationes, v. g. ſputorum in inflammatione pectoris, ſudoris in febre ardente, ſolent omnes, quotquot talia fiunt, ſe meliùs habere iis, qui parùm aut expuant, aut ſudent. Ab una enim parte evacuatio critica magnitudini morbi reſpondeat oportet ; unde priſcorum axioma : *Nihil paucum criticum* : ab altera parte emendatio morbi, ejuſque ſymptomatum, in ſignis bonæ criſeos haud infimum

locum tenet. Ita ut ſtudioſorum objectio duplex ſupponat falſum. Sin vero rariore caſu, (nequaquam autem *multoties*, id enim falſum,) poſt ejuſmodi ſputa, ſudoreſve copioſos, ægri graviùs longè ægrotarent iis, qui modò paucos haberent, referendæ hæ evacuationes forent ad κρίσιμα μὴ κρίνοντα, & infidæ cum *Hippocrate*, pernicioſæque, declarandæ.

Sed ſuperfluum, & inane eſt, ad ſimilia argumenta attendere; quum enim ſat ſuperque demonſtratum ſit petechias & miliaria ne vel umbram criſeos habere, refutat ſe ipſum omne argumentum quod critica eadem falſa ſupponit.

XII. *Quum videant ſtudioſorum ſimpliciores quomodo Medici alii apud ægros ſuos accenſâ utantur candelâ, examinaturi num pectus, collumque exanthema ferat; dubitant an fors ideò noſocomium noſtrum pauciora non exhibeat exanthemata, quod candelâ haud ſemper luſtremur.*

Crudum dubium, crudâ ſolutione dignum. An quod cœnaturus luce candelarum indigeam, quo ferculis patiniſque diſtinguendis ſim, etiam candelam pranſurus petam? cura noſtra

est acutos maximè ægros iis in lectis collocare, qui, cortinis apertis, plenum lucis jubar admittant, adeóque exanthemata vel minima actutùm revelent. Imò ægros lecto exemtos plenâ die mecum ſtudioſi ſolent, num efflo-reſcant, examinare. Sin verò loci anguſtia, & major ægrorum numerus, nec non ſi inſignis debilitas ægri in lucem vetat eum adducere, aut dies in hyeme tenebricoſior ſit, candelâ utimur accenſâ. Quapropter dum dies plena plus candelulâ illuminet, & è contrario ægri alibi paſſim ſic locentur, ut Medicus eos luſtraturus candelâ egeat, arbitramur nos in exanthematum detegendâ præſentiâ eſſe cæteris certiores. Minutulorum artifices craſſiora opera ad candelæ lucem, ad plenam diem ſubtiliora, reſervant. Addiderim exp. dominum *Guarin*, & omnes Miſericordiæ fratres, ob plerorumque ægrotantium ſitum candelâ uti, nec tamen ideò invenire exanthemata.

XIII. Tandem propoſuerunt mihi ſtudioſi dubium circa *clariſſ. Hoffmanni*, *Fuchſii*, ac *Trumphii* allatam *libr. de Febr. Diviſ.* auctoritatem; *& quidem ſic, ut cl. Hoffmannus, ſtatuens exan-*

thematicos hoſce morbos cum ſponte genitos, tum verè criticos eſſe; ut Fuchſius, miram de curâ uterini ſphaceli per remedia externa theoriam proponendo ſuſpectus, deindè exanthema violentè extortum cum euphoriâ procedere, quod impoſſibile, docens; ac præterea exanthemata puerperis uteri inflammatione laborantibus, ante nonum puerperii diem ſalutaria eſſe contra me ſtatuens; tandem Trumphius, qui haudquaquàm de ſudoribus ut miliarium genitoribus, verùm ut miliarium comitibus, diſſeruerit, ac datis deditâ operâ calidiſſimis bezoardicis, & miliaria expectaverit, & eadem indè nata ſalutaria eſſe pronuntiaverit; ut hi, inquam, tres admodum inidoneè à me ad confirmandam meam ſententiam adhiberi ipſis videantur.

Si tres hoſce auctores ideò laudâſſem, quod mecum cenſerent rarò ſponte naturæ miliaria & petechias gigni; utique malè laudâſſem: ſi hoſce viros ideò celebrâſſem, quod calida in exanthematicis morbis non commendarent; falsò eoſdem celebrâſſem: quum verò eam ob cauſam illos laudaverim, quod amarè de iis Medicis conqueſti ſint, qui vel exanthemata producererent, ubi cæteroqui futura non

fuiſſent, vel qui regimine calido uterentur in morbis, quibus exanthemata ſupervenire poſſent ; tunc juſto titulo hos omnes in meam ſententiam citare potui & debui. Relegant ergo diſcipuli mei & quid probare voluerim, & quid allati dixerint auctores ; pudeatque ipſos ſe, omnia tumultuariò commiſcendo, mihi intentiones varias imputâſſe, quas nec cogitare quidem potuerim.

§. III. Triſte ſanè ac tœdioſum eſt, temporumque notat iniquitatem, toties dicta repetere oportere, cogique ad reſpondendum objectionibus, quas, ſi non malevolus animus, ſaltem defectus attentionis in audiendo, legendo, reminiſcendoque, pepererit. Aſt verò publici ego ſervus, publicæ amator promotorque ſalutis, elucidare hanc diſputationem debui ; qua demùm à tironum mentibus quævis hæſitationis nebulæ diſpellerentur ? Intereſt *Auſtriæ*, totius intereſt *Germaniæ*, tam clarâ in luce Sydenhamianam collocari Boerhavianamque doctrinam, ut cujus miſerandæ peſtis, ſive in dies ſæviùs graſſaturæ, ſive maximam partem propulſandæ, arbitri ſint, ſeriò jubeant exulem de finibus agere ſuis.

Eſt mihi cordi hoc negotium, nec plane ingratos meos cineres *Germanis* fore hariolor, quando ab hac funeſta plaga penè immunes, me adjuvante & urgente, ſe redditos eſſe recordabuntur. Feliciora vivimus tempora, dieſque gratiores, quàm ut publicam ſalutem nationis erroribus immolaremus.

Interim animos juniorum Medicorum ad ſanam doctrinam amplectendam ea eriget experientia, quam complures, qui mecum ſentiant, frequentem habuerunt. Egregius *Klein*, cujus opus honorificâ præfatione exornandum eſſe *ill. Haller* cenſuit, ſe deprehendiſſe declarat » Exanthemata ſim» plex accidens eſſe, & ſymptoma; » nec critici quid, nec ſalutis ſpem fa» cere. » *cl. Allionius* Taurinenſis Profeſſor eadam in acutis, ſummo cum ægrorum emolumento, præveniendа eſſe, ſpeciali tractatu evicit. Celeberrimus *Valcarenghi*, in Regia *Ticinenſi* Univerſitate Prof. primarius, in *Spect. Pract. Cremonæ* 1761. edito in-4°. apertè evicit nec ea miliaria, quæ in febribus ſuppuratoriis, nec ea, quæ in veris acutis adpareant, critica eſſe; hinc cum laudato *Allionio* omnem curam eo dirigi oportere, ut in hiſce

dictis morbis non prodeant : meamque denique, de miliaribus & petechiis factitiis ſententiam, ſua confirmat experientia. Egregius *Glas*, *Comm. 7. de Febr.* multus eſt in demontrandâ miliarium artificioſâ generatione, & nocumento. Eximiorum virorum *Hazenohrl* & *Lauter* tractatus, eadem propriâ experientiâ confirmantes, jam laudati ſunt toties. Plures Medicorum, qui in ultimo truculento bello militibus curandis operam navarunt, ſeriò mihi teſtati ſunt, miliaria & petechias inveniſſe ſeſe copioſas aliquoties, quo loco alii, ſive calido regimine, ſive aëre haud ſatis renovato uſi, præceſſiſſent; pauca verò, ac ſæpè nulla in noſocomiis, quibus præfuiſſent ab initio. Laudabiliſſimus ſtudii Naturalis, Botanices, ac Medicinæ cultor *Cramer*, digniſſimus *Pontis ad Leytham* phyſicus, pluries mihi narravit, dum plura millia *Boruſſorum* captivorum anno 1757. & 1758. ſuæ curæ demandati eſſent, inter 300. eodem tempore, acutè ut plurimùm, laborantes, vix quatuor aut quinque exanthemata paſſos eſſe; illos verò quatuor vel quinque, aut nimiùm tectos, aut arctè concluſos ſe reperiſſe,

antequàm ſibi demandarentur : Leucâ autem à ſe diſtante pago ubi ab initio morbi calida methodus in uſu erat, vix ægrotâſſe quoſquam, qui exanthemate non macularentur; à militibus in incolas contagium tranſiiſſe; pluresque unâ cum Medico ſuo, exanthematum genitore, mortem occubuiſſe.

Quando igitur Medicinæ ſtudioſi, & Medici juniores, qui in noſocomio meo demonſtratam veritatem viderunt, ſeriò hæc dicta revolvunt animo, an non gravis moleſtia, quæ ægros ſub calido regimine premat; an non periclitans adſtantium ſanorum ſalus; an non formidabile diſcrimen, quod in calido regimine à minimo, eoque ferè inevitabili, frigore exſurgat; an non tot ægrorum perditio, qui vix priori morbo ſuſtinendo pares, altero, eoque ſæpè calamitoſiore, torqueantur; an non acutorum, inflammatoriorumque morborum dubia, propter imaginariam exanthematum curam, alea; an non præſens ipſorum Medicorum periculum contagionis & mortis; an non demùm omni velamento denudatus patrius error; adhortari, incitare, animare,

cogereque ipsos debeant, ut in acutis morbis curandis inclytum *Sydenhamum*, admirentur, sequantur?

Præter insignia hæc emolumenta, quæ, exanthemata haud ultra faciendo, universo generi humano conciliabunt ilicò, etiam eidem supremum hoc beneficium præstabunt, ut contagio sensim imminuto, dira tandem plaga cesset, nec ultra, nisi in summa humorum corruptione, appareat.

CAPUT IV.

PROBLEMATA DE SCORBUTO.

§. 1. *Cur nobis scorbutus, quàm antiquis, notior? Quosnam potissimùm affligit? Scorbutus alkalinus, muriaticus, acidus, differt ab acrimonia spontanea alkalina, muriatica, acida.* §. II. *Daturne talis triplex scorbutus? an autem unicum modo esse nonnulli recentiorum verè demonstrârunt? Quum plura ad id observata requirantur, quàm illi attulere, ut lis dirimatur, testimonia plura examinantur, & varia diaria marina consuluntur; ac* 1°. *quidem* Jacobi Quartier. 2°. J. van Linschoten. 3°. Duo-

decim nautarum, *qui ſoli de naufragio, & hybernatione in* Nova Zembla *ſuperſtites, poſt varios errores in patriam redierunt.* 4°. Guill. Corn. Schouten. 5°. *Claſſis* Naſſovicæ. 6°. Laurentii F. Haan. 7°. Friderici Maartens. 8°. Trium navium *miſſarum ad novas terras auſtrales detegendas.* 9°. *Navis dictæ* Barneveld. 10°. Guillelmi Dampier. 11°. J. Egede. §. III. *Putridus ſcorbutus eſſe marinus evincitur, idemque cum terreſtri; quæritur porrò, quum terricolis mitior redditus ſit, an eædem cauſæ etiam mitificare eumdem maricolis poſſint? Hinc cognoſcendæ marini ſcorbuti cauſæ forent. Cauſæ ſufficientes non ſunt aut marinus aër reſpirationi adverſus, non humidus, non ſal, nec vegetabilium ſuccolentorum defectus. Cur vulgus marinum frequentiſſimè, rariùs navium proceres, afficiuntur? Machina* Suttoni *ventilatoria aëris humiditatem noxiam ſæpè non tollit. Concluditur ex combinatis pluribus cauſis ſcorbuto claſſiarios affici, quæ cauſæ navis proceres, tangere nequeunt.* §. IV. *Scorbutus marinus & alkalinus eſſe unicè adparet; & tamen remedio æquè calido, quàm fri-*

gido, ſed ſemper ex vegetabilibus ſuculentis, perſanatur. Quæritur undè hoc? Pringleana *experimenta an id explicent? Quid in nautarum ſalutem ſuadendum ſupremæ poteſtati? Curaretne morbum aër purus?* §. V. *Parcimonia noſtra in dandis medicamentis, nautarumque in iiſdem devorandis aviditas, efficere videntur, ut longè citiùs efficaciúſque nobis illi curantur.*

§. I. SCorbutus, morbus pro parte antiquis notus, aſt verò, quia rarior, minùs accuratè, quàm quidem poſterioribus ævis, deſcriptus. Quum enim in longis, tædioſiſque navigationibus potiſſimùm contrahatur, utique rarior fuerit morbus neceſſe eſt, quando naves littora duntaxat lambendo, novis ubique alimentis, novâ ubique refocillarentur aquâ; frequentior verò, ex quo ſævum mutandis mercibus æquor arando, diuturno ſæpè tempore per immenſa maria fluctuantes, commercium agunt. Ergo & in navibus jam multò numeroſioribus, plebeque oneratioribus, dictâ de cauſâ ſcorbutici longè plures quàm olim; & in continente quoque copioſiores, quod innumeri

meri ex navibus in terram deportentur; quo tam ſcorbuticorum in regione numerum augeant, & morbum veteribus curatiùs cognoſcendi occaſionem exhibeant Medico.

Obſervatur ſcorbutus quoque frequentior populis ſeptemtrionalibus, maris quippe plurimum accolis, 1°. Quod ibidem atmoſphæra ſit, ob fluxum refluxumque maris, heterogenea ac putreſcentia in littore relinquentis, impurior. 2°. Quod frigidiora incolent humidioraque loca. 3°. Quod borealium gentium complures magnam vitæ partem in nave tranſigant, ſcorbutoque affecti ſuos repetant lares. 4°. Quod protractiore ibidem hyeme, vegetabilibus diutiùs careant. Quippè generaliter loquendo (exceptiones enim res habet, ut patebit,) in ſcorbutum cæteris proniores ſunt, qui vegetabilibus diutiùs carent, ut *Bachſtrom*, ut *Anglorum* plures, demonſtrârunt: ita ut v. g. in urbe diù arctéque obſeſſa, cives, copiæque præſidiariæ, ſcorbutum patiantur; interea dum, qui obſident, ſcorbuto immunes vivant vegetabilium abundantiâ, quam liber ad exercitum aditus, ipſique horti ſuburbani, ſuppeditant.

Dum vegetabilia dico, intelligo ſucculenta : habentibus enim urbibus obſeſſis, & navibus, abundantiam cerealium, piſorum, fabarum, nihilominùs ſcorbutus in illis ſæpè ſævit. *Viennenſis* inclyta Facultas Medica doctiſſimo *Cramero*, ipſam de ſcorbuto Hungarico peſſimo conſulenti, antiſcorbuticas herbas ſiccatas, hyems enim erat, & antiſcorbutica deſtillata miſerat; dolens autem reſpondet *Cramerus* nullum morbi levamen ab iis ſe conſecutum eſſe. Patebit poſtea ſpiritus quoſvis antiſcorbuticos ſemper inutiles fuiſſe nautis.

Cauſa proxima ponitur eſſe ſanguis rubrâ quidem parte craſſus, ſeroſæ verò partis una portio, mucoſa; altera, acris; acris autem ſpecificè : muriatica ſcilicet, acida, alkalina.

An porrò ſimilis acrimonia acida, muriatica, alkalina, in ſcorbuto, quàm in humorum acrimonia ſpontanea, in qua etiam hæc triplex notatur acrimonia ? Schola medica multam uriuſque notat diſparitatem. In ſpontanea acrimonia, cujuſcumque ſpeciei ſit, haud notatur putredo atque exulceratio gingivarum : non illa dentium vacillatio; non dolor ille im-

mobilitaſque in genu, ſæpè cum tendinum cruris flexorum contractione; imò ne illa quidem matutina laſſitudo: in ſola ſpontanea acrimonia alkalina apud *Boerh. Inſt.* §. 912. notatur quidem putredo; in muriatica §. 914. rigiditas totius corporis: attamen conferenti has §. §. cum capite de ſcorbuto *Boerh.* ingens apparet inter utrumque differentia. Deſcribitur, in ſpontanea acrimonia alkalina, ſanguis diſſolutus; in ſcorbutica, ſanguis parte rubrâ craſſus; in ſpontaneæ alkalinæ ſero, nulla mucoſitatis mentio; in ſcorbuticæ acrimoniæ alkalinæ ſero pars mucoſa una eſt, acris altera. Sed in ſingula ſpontaneæ acrimoniæ ſpecie ſanguis omnibus in partibus, pro ſpecifica acrimonia, peculiari modo peccat; ut hinc acrimoniam ab acrimonia characteriſticè diſtinguas: in ſcorbuticâ verò ſingulæ ſpeciei ſanguis idem craſſus; ſerum partim craſſum, partim acre: acre autem illud ſpeciem à ſpecie unicè diſcriminat. Febris adeſt, abeſt, ſic ut in ſcorbuti definitione non contineatur, quamvis quædam detur ſcorbuticorum nonnullorum peculiaris febris. Quam doctiſſ. *Murray* in ſuæ navis ſcorbuticis numeroſioribus epide-

micam petechialem, eamdemque funestissimam descripsit, hæc contagio maligni morbi, non scorbuti, tribuenda erat.

§. II. Estne igitur diversa scorbuti species? Estne singula specificis suis curanda remediis? Gravissimi auctores post *Eugalenum*, & *Sennertum*, sic docuerunt; egregii autem Medici non defuere, qui acrimoniam quidem specificam agnoverint, curam verò indiscriminatim tentârint calidioribus dictis antiscorbuticis, & acidis; sæpè etiam inter sese commistis. Videntur igitur hi suâ curandi methodo indicâsse, quod specificam hanc in scorbuto acrimoniam minùs admitterent. Quin etiam dum historias navales accuratiùs examinemus, & consulamus, ferè in paradoxam opinionem incidimus, ac si unicam scorbuti speciem duntaxat esse stupendæ arguissent curationes.

Sed priusquàm concludamus, expediet consuluisse eos, qui omnium optimam morbum noscendi & curandi occasionem nacti, nobis sua reliquerint observata.

Occasionem de scholarum doctrina circa scorbutum dubitandi, sup-

peditavit nobis opus tam utilitate, quàm amœnitate, commendabile, doctiſſimi Medici, *Richardi Walter*, quo iter præclari Architalaſſi *Anſon* per orbis ambitum, teſtis oculatus complexus eſt. In hoc erudito opere invenimus innumeris exemplis, quorum quodque centenos homines unà capit, quæ proindè ſimul plures millenas ſanationes referunt, hanc ſententiam, veluti axioma poſitum, quod ſcorbutus navalis ſit alkalinus, ſit putridus, ſit qui vocetur calidus; de quo innumeræ hiſtoriæ nullum dubium reliquum fecerunt: quodque hic ipſe ſcorbutus putridus tutiſſimè, ac citiſſimè curetur, tam copioſis antiſcorbuticis calidis, quàm frigidis; ita ut nautarum ſaluti æquè conduceret copioſus cochleariæ ceparum &c. uſus, quàm immenſa aurantiorum ac limoniorum pomorum copia. Mox nos in limine offendit tale paradoxon axioma, quum ſcholæ ſubvertat doctrinam; undè memores præceptoris monitûs μηδ' ἐν ἐιπῆ, μηδ' ὑποροχῆν, conſulamus prius alios ſcriptores marinos, examinaturi num idem, vel contrarium, illi experti ſint, antequàm Walterianum axioma, aut amplectemur, aut repudiemus.

Quod mihi primum occurrit, est diarium *Jacobi Quartier*, qui jussu Regis Christianissimi *Francisci I.* anno 1535. Americam Septemtrionalem lustrans, hybernare cogebatur ad ripam fluvii *Canadæ*, prope locum nunc dictum *S. Crucem*; nautarum ingentem stragem hîc scorbutus fecit, universalem brevi facturus, nisi incolæ ipsis indicâssent arborem *Anedda*, cujus & cortice & foliis plurimi reconvaluere. Doctus scriptor *A. Montanus*, qui nobis hujus diarii copiam fecit, in suâ *Americæ Borealis Historiâ*, nihil attulit lucis, ut cognoscamus arborem: nec licuit apud *R. P. Hennepin*, apud *Denis*, apud *Martiniere*, alioſque, qui regionem illam peragrârunt, aliquam ejus descriptionem invenire. Nec in doctissimi ac nobilissimi Consiliarii & Professoris, *Nicolai Jacquin*, *Historia Stirp. Amer.* aliquid habetur, quum ad eam in America latitudinem non pervenerit. Hinc ad alios, qui nobis nota magis antiscorbutica suppeditârint, nos conferamus.

In pluribus diariis variarum classium navalium, quas sub finem sæculi 16. sive Respublica Batava, sive urbium Batavarum nonnullæ, sive deni-

que cives ditiſſimi, miſerunt ad viam tentandam, juxta *Muſcovicam* ac *Tartaricam* oram, in *Chinam* ac *Japoniam*, ſtrages nobis occurrunt, quas edidit ſcorbutus miſerandas; eo quod expeditione qualibet infortunatò admodum ſuccedente, vel complures naves inter perpetuas atque inſuperabiles glacies, monteſque glaciales, naufragarentur; vel nautæ itineris tœdio, longitudine, periculo confecti, proprios demùm lares repeterent; vel in *Nova Zembla*, aut alibi, hybernare coacti, unâ vice ad unum uſque perirent omnes, aliâ vice ex *Nova Zembla* in binis apertis ſcaphis, ex nave majore, glacie confractâ, compoſitis, iter 400. milliarium in pelago errantes conficerent, donec demùm ad extremam *Ruſſiæ* oram appellentes, indè in patriam, ex toto numero duodeni, redirent. Non immorabor aliis diariis, quàm his, quæ ad ſcopum faciant.

J. van Lenſchoten in *Itinerario* anni 1594. refert ſe appuliſſe in locum, quem *Waygat* appellant, alii *Naſſovicum fretum*, menſis Junii 27. ibidemque detexiſſe inter gramina, aliaſque herbas, *cochleariam* copioſiſſimam,

ſcorbuticorum illuc appellentium tutiſſimam refectionem.

Diarium duodecim illorum, quos retuli, poſt hybernationem in *Nova Zembla*, in patriam rediiſſe, refert illos anno 1597. in inſulam ignotam conſcendentes, præ gaudio exclamâſſe ad viſam primò cochleariam, eoquod ferè cunctos ſcorbutus reddidiſſet penè immobiles; indè non comedendo, ſed continuò vorando, ſe percepiſſe, non modò veras eſſe, quæ cochleariæ in patria laudes darentur, verùm etiam omni illam laude ſuperiorem; quandoquidem celerem adeò mutationem perciperent, ut, paucis poſt diebus, panem biſcoctum denuò maſticare, quod dolentes gingivæ, denteſque vacillantes, ante nequiviſſent, commodè inciperent.

Data hæc exempla monſtrant ſcorbutum curatum cochleariâ: undè forſan quis ſuſpicabitur ſcorbutum frigidum, ſive acidum fuiſſe, hincque herbâ alkaleſcente & calidâ ſublatum; talem verò, ſi acida & aceſcentia antiſcorbutica regio dediſſet, non modo non curatum, ſed in pejus verſum, imò lethalem fuiſſe redditum.

Reſpondebunt nautæ iidem. Scor-

butus redierat dum promontorium *Wardhus* petituri, multum in fluctibus aberrâſſent. Appulere demùm ad extrema borealia *Lapponiæ* in portum *Cola* vocatum, intimiúſque ſe penetrantes, baccas rubi copioſiſſimas deprehendere, quibus affatim comeſtis à ſcorbuto convaluere omnes.

Fructus acido-dulces copioſiſſimè comedentes, curantur à ſcorbuto iidem ipſiſſimi homines, quos antea eodem in itinere, eodem in climate, eodem cum victu, cochlearia curaverat. Quid ergo de natura ſcorbuti ſtatuendum? Acida & alkalina curârunt ſaltem eamdem ſcorbuti ſpeciem.

Rubi copia ingens, ingens & cochleariæ per boreales omnes regiones, in omnibus itinerariis utrumque deſcribitur, & ad ſcorbutum ex æquo laudatur. *Denis*, quo tempore in *Canada* habitabat, rubum ubique invenit tam copioſum, ac fertilem, ut qui ſuis de pratis eradicare vellent, non poſſent.

Anno 1615. 1616. 1617. *Guillelmus Cornelii Schouten*, Hoornanus, quo novas, tranſvecto freto *Magellanico*, terras detegeret, auſtralem orbis partem circum navigans, refert cum

tædioſi itineris longitudine, tum diverſi generis commeatûs, aquæ bonæ potiſſimùm, penuriâ, potiorem nautarum partem ſcorbuto affectam eſſe; tentâſſe ſe dudùm hinc indè inſulam ut detegeret, & in continentem deſcenſionem faceret ægrotantium; ſed fruſtrà. Scaphâ demùm littus aliquod attingente, nautas herbam detexiſſe naſturtio hortenſi ſimilem, eamque dein adhuc copioſiorem in inſula dicta *aquoſa* ad 12. gr. lat. auſt. Coctis indè pultibus abundanter comeſtis, ſcorbuticum nautam adeò levatum ſe percepiſſe, ut herbæ vires haud potuerint ſatis mirari.

In diario claſſis navalis dictæ *Naſſovicæ*, quæ undecim navibus conſtans, Archithalaſſo *Jacobo Eremitâ*, ab anno 1623. uſque ad 1626. vecta circum orbem eſt, nullas in principio detegimus ſcorbuti querelas; cauſa videtur limoniorum abundantia fuiſſe, quæ tanta nonnunquàm, ut abuterentur, & ut claſſis primo anno numeraret 42. ſuorum dyſentericos indè periiſſe. Poſtmodum verò, ut in longis ſolet tædioſiſque itineribus, ſcorbuto aliam poſt aliam navem petente, deviando continentem quærere decretum fuit in procerum conſilio, limonio-

rum quærendorum, aliûſve remedii antiſcorbutici gratiâ: at verò nullâ inſulâ detectâ, de ſervanda claſſe ob ſcorbuti immanitatem deſperatum eſt. Detegunt tandem inſulam *Annabon* ad gr. 111. lat. auſtr. Nautæ, & in inſula, aurantiorum pomorum copiâ incredibili repleverunt ſeſe, & bis centum millia eorumdem ſecum in naves induxere. Ex eo tempore nulla ſcorbuti in diario mentio fit.

Scorbutus igitur natus in plaga mundi auſtrali, curatur antiſcorbutico calido, naſturtio hortenſi; curatur antiſcorbutico frigido, pomis aurantiorum & limoniorum; eodem prorsùm modo quo anteà vidimus ſcorbutum borealem integrè curari calidis cochleariis, & frigidis rubis.

L. F. Haan, in *Hiſtoria Freti Davidis*, plagam occidentalem in *Americæ Boreali* notat, ut in qua creſcat ſpecies rubi, humi repentis, fragorum ſapore grati, copioſiſſimi. Deindè totam regionem deſcribens, arbores ferre eam nullas ait, ſed aliquas frutices, & baccas cœruleas, ſimiles juniperi in *Norvegia* baccis: tum & copioſiſſimam lactucam, quam ibidem *Groenlandicum acetarium*, vocant, &

Acetosam. Hæc lactuca & acetosa pro incomparabili antiscorbutico habentur, ut refert; ita ut iisdem plurimùm vescentes, incredibile quàm citò, & integrè, convalescant.

F. Maartens, Chirurgus navis *Hamburgensis*, in diario sui itineris in *Spitzbergen*, & *Groenlandiam* susceptí, inter cæteras plantas meminit cochleariæ quam ibidem pro scorbuto, copiosissimam, & sapore gratiorem, & in acetariis vehementer amatam, notat.

Joannes Egede, Danicus per 16. annos Missionarius in *veteri Groenlandia*, refert *cap.* 3. » præstantissimam » viribus cochleariam, incomparabile » adversus scorbutum remedium, co- » piosam ubique ad oras maritimas » reperiri, sapore autem haud acrem » ita, amaramque, quàm in regio- » nibus temperatioribus. Stupendas » cæterùm per eamdem se curas vi- » disse.«

Anno 1721. à Societate Indiæ Occidentalis Batavæ missæ tres naves, ut novas regiones ad gradum lat. austr. 56. quærerent, eruditum habent hujus expeditionis diarium, cujus in capite 7. hæc de scorbuto leguntur. » Apri- » lis 27. altitudinem attigeramus gra-

» duum 23. min. 2. lat. auſtr. Hîc
» demùm incommoda, diù obſervari
» cœpta, quæ illos, qui longa itinera
» mari conficiunt, inſequi ſolent, nos
» graviùs premebant. Quantus enim
» cumque commeatus nobis datus eſſet,
» minuebatur tamen, ita ut quotidia-
» næ portiones, ne tandem deficerent
» penitùs, in dies parciùs diſpenſa-
» rentur. Quin & panem, cum com-
» munem, tum biſcoctum, ſitus cor-
» ruperat, quemadmodum & reli-
» quum, qui inſuper vermibus ſca-
» tebat, commeatum Percepta quo-
» que & aquæ ſenſim creſcens penu-
» ria; quare & parciùs illa nautis cœpta
» dari. Tandem & ipſa fætida ac ver-
» minoſa, non ultra fuit ad ſitim
» idonea, nec ad humectanda cor-
» pora, quæ enormis calor exſiccave-
» rat, apta, nec utilis ad deperditas
» illorum vires reſtaurandas. »

Præter cæteros morbos, ſcorbutum indè deduxit, naſci ſcilicet illum oportere ratus, eo quod ſicca eſſet ac ſuffocans in mari atmoſphæra, quod ſalita alimenta corrumperentur, quod potabilis lympha deficeret, nocteſque præprimis gelarent. » Signa, *ſcri-*
» *bitur in diario*, morbi prima mani-

» festantur ad gingivas, haud tumi-
» das duntaxat, sed & nigras ac pu-
» tridas; hinc fœtens anima, hinc
» corrupti dentes vacillantesque adeò,
» ut nedum navalem, verùm etiam
» nec alium quemcumque cibum,
» manducare queant. Indè porrò per
» universum corpus morbus vagatur.
» Ad crura, ad brachia, ad alias par-
» tes, maximè verò ad genu, patel-
» lam, maculæ visuntur, pulicum mor-
» sibus similes, rubræ, purpureæ, li-
» vidæ, nigræ, unà cum articulorum
» doloribus. Posthac brachia, coxæ,
» femora, hinc indè tument; livida
» sic aut nigra, quemadmodum alias
» à contusione fit. Palata videre est,
» quibus frusta veluti crassæ corruptæ-
» que carnis adhæreant, die à chirur-
» gica ablatione altero renascentia.
» Multorum cernas horridè tumidos
» vultus. Accedunt demùm tremor,
» palpitatio cordis, tensio ventris, mi-
» seranda artuum contractura, vehe-
» mens sæpè dolor, & morbo peni-
» tùs irradicato, mors: non ita qui-
» dem ut omnia hæc symptomata
» eumdem hominem impetant; nam
» ad interimendum sufficiunt pau-
» ciora. »

Remedia deindè prosequutus, cochleariam quidem præstantem esse censet, sed recentem tantummodò, haud verò in spiritum evectam; quum is, inquit, calidior existens, tenuiora dissipet, figat crassiora. Cæterùm in longis itineribus nihil reperiri præstantius, quim in continentem descendere, quo ægri sereniore aurâ aliquantisper vescantur.

» Vix fari datur, *inquit*, quantum » marinum hunc morbum aër mutet » emendetque campestris; ac quan- » topere simplices herbæ pratenses, » ipsumque vile adeò habitum gra- » men, vires exerceant curandi va- » leniores illis omnibus, quæ ut de- » cantata remedia laudentur. Miror » sane Medicos illos, qui naves, quæ » sua consilia observent, à scorbuto » immunes fore obfirmatâ fronte asse- » verent. Etenim quæ eorum remedia » ad efficaciter præservandum alia, » quàm illa *quæ ipsissima in longis de-* » *ficiant itineribus*? »

Inter medias has miserias insulam detegunt ad gr. 15. lat. austr. cuius nigri incolæ insulæ afferunt producta; nuces scilicet *kokos*, & quamdam herbam abundantissimam, amarescen-

tem, ſimilem per omnia naſturtio hortenſi. Incredibile, ait, quantopere indè reficerentur omnes; ita quidem ut, licet lapidibus ferè obruti ab inſularibus fuiſſent, ni fugam capeſſiſſent, *inſulam* tamen *refectionis* appellarent; quo nomine eamdem poſthac in geographicis mappis decoratam deprehendimus. Eſt in eadem ferè altitudine cum inſula ſuprà dicta, ob inventas à nautis aquas *aquoſa* vocata, in qua eadem herba & copioſiſſima deprehenſa eſt, & mirificè antiſcorbutica.

Anno 1719. navis *Barneveld*, poſt infortunatos per immenſum pelagus errores, appellens tandem ad ampliſſimam inſulam *Madagaſcar*, ad oram *Africæ* occidentalem, nautarum 120. ſcorbuticos in littus duxit, ſub tentoriis locavit, & poſt 14. dies pleroſque iterùm ſanos in carinam recepit, nullo adhibito remedio præter ſpeciem nymphææ, quam in aqua copioſiſſimam invenientes, tum juribus incoxere, tum more acetariorum comederunt.

In itinere circum orbem univerſum *Guillielmi Dampier* legimus, qua ipſe vehebatur, navem depoſuiſſe ad pro-

montorium *bonæ ſpei* ſuos ſcorbuticos, eo quod ibidem quocumque fructuum olerumque genere plerique brevi ſoleant convaleſcere. Non addidit auctor numerum ſcorbuticorum, qui in hoc promontorium depoſiti fuerant; ſed convaluiſſe refert omnes, quatuor duntaxat, qui omnium peſſimè in nave habuerant, exceptis.

Famoſiſſima ſcorbuti curâ eſt inſula *Sanctæ Helenæ*, inter 15. & 16. lat. auſtr. gradum. » Rarò fit, *inquit Dam-*
» *pier*, quin ſcorbutici hîc amiſſam du-
» dùm recuperent ſanitatem. Fert inſula
» hæc herbas optimas, undè balneis
» per inſulanos adornatis rigiditas
» immobilitaſve cruris percuretur: à
» ſuo autem ſcorburo fructibus, oleri-
» bus, recentioribus alimentis, citò
» liberantur; ita quidem, ut qui pen-
» ſili lecto ex navi in continentem du-
» cti fuerant, elapſo octiduo pedibus
» incedant, imò ſaltent: juvat verò
» aura ſerena. »

In tædioſo itinere ex *Nova Hollandia* ad idem promontorium, homines ſcorbuticos primùm 20. perdiderunt; deindè verò morbo aucto, auctis itineris tædioſi laboribus, putridâque exiſtente ad bibendum aquâ, miſerè

omninò cum nautis agi cœptum. Interim navis præfectus, magnam in navi poſſidens tamarindorum copiam, juſſit definitam cuique ad prandium portionem cum oryza dare; id quod omnes multum reficiebat.

» Porrò ita commune omnibus, *ait*, » malum erat, ut vix exiſteret, quem » immunem diceremus; malum ſubdolè ſic obrepens, ut ipſi nos vix » perciperemus ægrotantes, vixque » dolentes; ſed debiles quidem & » inappetentes: ſubdolè, inquam, » ſic, ut plurimis eorum, qui morti » adpropinquarent, vix ſuaderi poſſet » ſuo manerent in penſili lecto, donec » demùm immobiles redderentur: » quando verò ſe lecto immobilitate » affixos cernebant, condebant teſtamentum, haud ultra biduum, triduumve, calamitates protracturos ſe » certi. »

§. III. Ubique quæ de ipſa morbi deſcriptione & ſymptomatibus diaria habebant, in mea relatione collegi, ut conſtaret marinum illum ſcorbutum, in nonnullis ſymptomatibus, alia atque alia in nave, differentem, tamen præcipuis in rebus ſic convenientem eſſe, ut ſcorbutum putridum verè

referat; conveniatque omninò cum eo ſcorbuto, quem terricolæ habent: ita ut idem prorsùm morbus eſſe appareat terrâ marique.

Subdolum hunc morbum læviùs gentem borealem afficere obſervamus, ex quo tellus multis in locis ſit reddita ſiccior; aggeribus ſic adornatis, ut externæ aquæ ſecludantur, liber internis concedatur effluxùs: ex quo ædes ſic ſuas conſtruxerint, ut minùs humeſcant intùs, ac liberiore perflentur aëre: ex quo durioribus alimentis plura cœperint molliora interponere, ſic ut dies nulla tranſeat, in qua variis lactucis, oleribus, fructibus, non veſcantur; crudis, coctis, elixis, toſtis: ex quo Aſiatici aliàs noxii, potus; ſic ſaltem *Boerhavii* ſententia erat; corpora ab acrioribus, diluendo, magis liberârint: ex quo tandem ſe contra cæli inclementiam firmioribus veſtibus muniverint. Quin & cæteris paribus, vita laborioſa admodum, in eadem regione boreali, ſub eodem victu & aëre, immunes omninò à ſcorbuto, aut leviùs ſaltem affectos, præſtat aratores, fabros ferrarios, lignarios, &c. interea dum textores, ſartores, ſutores, pictores, phrygiones,

viri litterati, graviſſimè afficiuntur.

Examinandum eſt undenam ſcorbutus in navibus ? ut pateat num vel hæc, quæ terricolis mitiorem reddiderint, vel adhuc alia, maricolarum quoque mitigare tollereve ſcorbutum queant ?

An igitur 1°. ab aëre marino, ita ut ex mari quidquam exhalaret, quod aëri commiſtum, ipſum ſæpè redderet reſpirationi ineptum, & ad ſcorbutum generandum aptum, ut quorumdam opinio fert ?

An 2°. ab humidiore ſemper atmoſphæra ?

An 3°. à ſalitis ?

An 4°. à penuria vegetabilium ?

Ut primò generalem reſponſionem ad hæc omnia, deindè ad ſingula propriam, adornem, dico has quatuor cauſas ita univerſales eſſe, ut ex æquo omnes in nave afficiant, gubernatores majores, minores, & claſſiarios vulgares Conſtitit verò univerſali obſervatione *Anſonianæ*, aliorumque, nautas potiſſimùm ſcorbuticos eſſe, minùs eſſe præpoſitos minoris ordinis, adhùc minùs præpoſitos majoris ordinis, omninò nihil ferè præfectos ſupremos. Quum igitur

quatuor hæ cauſæ omnes ex æquo afficientes, non omnibus ex æquo ſcorbutum creent, haud videntur ejus cauſæ appellari poſſe.

Doctiſſimus *Lind*, qui de ſcorbuto tractatum hiſtorico-dogmaticum eruditè & practicè ſcripſit, dum examinat an ſalita ſcorbutum creent? egregiè reſpondet non videri, quum *primò* ſal à putrèdine ea præſervet, quæ cæteroqui in putredinem procliva ſint: quum *ſecundò* diuturniore tempore aqua marina, dirâ neceſſitate cogente, pota, ſcorbuticis haud nocuerit: quod *tertiò* ſalita viſa ſint homines ab eodem præſervâſſe.

Obſervatum quippe fuiſſe, dum naves *Anglicanæ* cum *Batavis* conjunctæ, ſtationem diù peragerent, ne portu ſolveret *Gallica* claſſis, *Anglos* ſcorbutum corripuiſſe, non corripuiſſe *Batavos*: cauſa quæſita, conſtitiſſe id, quod claſſiariis *Batavis* bis in ſeptimana ex braſſica ſale condita pararetur prandium, *Anglis* verò minimè: cæterum in omnibus idem utriſque regimen contingere.

Pergit doct. *Lind* docere non eſſe, qui ſcorbutum faciat, ſalem marinum. Scorbuto affici cœptis, inquit, mox

omnia ſalita auferuntur ; attamen morbus pergit, & furit. Præterea ſcorbutum natum oſtendit, non niſi recentibus carnibus veſcente nautâ. Sic *Anſonii* claſſi, *Mexico* recedenti, inter medias recentes carnes morbum natum : *Cæſarias* legiones, *cl. Cramero* notante, cum carnium recentium abundantia ; *Ruſſicum* exercitum, referente *Niuſchio*, ſalitis carentem, in turpes incidiſſe ſcorbutos.

In quæſtione porrò de vegetabilibus, meritò occinit doctiſſimo *Bachſtrom*, in eo, quod & ad præveniendum, & ad curandum, ſint egregia : id urbes obſeſſas, id *Hollandorum* braſſicam confirmare lubens fatetur : attamen cenſet etiam hanc *Bachſtromii* eſſe limitandam ſententiam.

Quod enim 1°. de urbibus obſeſſis conſtitit, id in multis aliis obſidionibus, ubi ſimiles cauſæ exiſterent, non ita conſtitiſſe. 2°. In media vegetabilium abundantia ſcorbuticos effectos eſſe claſſiarios.

Exemplum terribile affert, quod egregius *Huxham* confirmat. Dum claſſis navalis Archithalaſſi *Martin* in freto Gallicano diù obſervabat claſſem Gallorum, in ſumma abundantia ve-

getabilium omnium & optimarum aquarum, tanto afficitur ſcorbuto, ut inter 4000. claſſiarios, 400. numerarentur miſerrimè affecti : ſic ut doctiſſ. *Huxham* cernens redeuntem in *Pleymuti* portum claſſem, graphicè ac lamentabiliter conditionem deſcripſerit ægrorum. Unde *cl. Lind* defectum vegetabilium, ſcorbuti feracem, non niſi cauſæ occaſionalis vice fungi putat.

Sed ut certius, quid de ſcorbuto proferatur, quid cauſæ eſt, quod plebs navalis infima hoc morbo maximè laboret ? minùs, aut vix proceres ? 1°. Proceres navis & præpoſiti nautarum habent mutatorias veſtes, ut madefactas exuere, ſiccas induere queant. 2°. Lectos ſuos pellibus animalium munitiores adverſus frigora, quàm plebeii, habent. 3°. Omnes ſuas veſtes habent præpoſiti, quàm claſſiarii, craſſiores, arcendo frigori aptiores. 4°. Habent navium gubernatores, & ſupremi miniſtri, tamarindos, aurantiorum ac limoniorum genera muria condita, ſuccum limoniorum qui in doliis, & melius adhuc in lagenis diù ſervari poſſit, conditas ſale braſſicas, rapas, phaſeolos,

endiviam, &c. vina, cereviſias lupulatas, &c. hæc omnia ſimul ſumta & non vegetabilia ſola, concurrere videntur, quo minùs navium proceres hoc morbo affligantur.

Vita laborioſa nautarum an non deberet illos eximere potiùs à ſcorbuto, ita ut minùs eo, quàm proceres, laborarent?

Si ſolus labor exercitus ſcorbutum præcaveret, labor neglectus conciliaret, utique nautæ eſſent ab eo proceribus navis exemtiores; ſed ut, non obſtante ſuâ vitâ laborioſâ, magis tamen ſcorbutum contrahant, plures inevitabiles ipſis cauſæ, evitabiles proceribus, efficiunt; ut jam vidimus.

An machina *Suttoniana* apta non eſt, ad ſcorbutum præcavendum in navibus?

Juvat ad aëra puriorem reddendum, ac renovandum; in eoque ſanè egregia nautis eſt: ſi autem humiditate diuturnâ peccet aër, nil machina juvat; quum pluvioſâ tempeſtate expulſum aëra humidum, humidus ſubſequatur. Undè graviſſimus *Anſonio* ſcorbutus, *Mexico* redeunti, & omni genere abundanti vegetabilium. Pluviis ſaturo aëre explente naves, nulla dies

ſerena

ſerena illuxit, qui navem permitteret ſiccari. Venti interim & procellæ ſpumantes undas in naves invehebant, nautas reddebant madidos & frigidos. Quum nunc inter cauſas occaſionales nulla ſit aëre humido ac frigido pejor, quum is diuturniore tunc obtineret tempore, ſcorbutum peſſimum naſci oportuit.

Ex cunctis liquet victum corruptum, aëra humidum ac frigidum, veſtes tenues & humidas, humidos tenueſque lectos, vegetabilium ſucculentorum defectum, animi mœrores ac tædia longi itineris, unà concurrere ad ſcorbutum generandum; aëra humidum ac frigidum, cum veſtibus & lectis nautarum frigidioribus, ſcorbutum creare poſſe in media vegetabilium opulentia; vegetabilium defectum ſolum ſine humiditate & frigore & mœroribus, vix creare ſcorbutum, ut optimus *Lind* in *Scotiæ* montanis incolis, & in *Finnis* evicit.

§. IV. Ex mirandarum curarum collectione conſtat illas peractas eſſe herbis calidis, & frigidis; alkaleſcentibus, & acidis: *cochleariâ*, *naſturtio*, *braſſicâ*, *cæpis*, *nymphæâ*, *lactucâ*, *acetoſâ*, *rubi baccis*, *fructibus*

tamarindorum aliiſque, maxumè pomis *aurantiis*, *citreis*, ac *limoniis*: quovis *graminum* genere; nec non quibuſvis ſucculentis *vegetabilibus*: *vino*, *cereviſiâ*, *aceto*.

Quamvis remedia, quæ morbum curaverint, oppoſitæ ſint naturæ, ſcorbutus tamen navalis, ſymptomatibus deſcriptus ſuis, unius modo ſpeciei fuiſſe apparet; maximè id concludere licet ex curatione eorumdem hominum primò per cochleariam, deindè per rubi baccas; ut ſuprà conſtitit.

An verò cl. viri *Pringle* experimenta, aceſcentis cochleariæ, dum chemicis quibuſdam operationibus eamdem. exponebat, præcipuam difficultatem haud tollant, docendo unicum ſcorbuti genus unico medicamenti genere curatum eſſe?

Si hæc experimenta aliis clarioribus elucidentur, lubens viri doctiſſimi ſententiam amplectar: verùm ne huc uſque amplexus ſim, me alia experimenta remorantur. De acore in ipſius experimentis ex cochlearia percepto, ideò non concludo acidum in cochlearia adeſſe, quia didici propriis experimentis, dum alkalina vegetabilia, dum ipſa jura carnium, certum quem-

dam corruptionis gradum consequuta, quid acidi redoleant, id fugax acidum, licet syrupo violarum detectum, ideò non docere naturam rei acidam, quum brevi post totum abeat in alkalinum. Ergo vix video, cur, ob fugax tale acidum, credamus & alkalescentia vegetabilia, & jura carnium, in corpore humano ut acida agere? Equidem in experimentis clarissimi viri alkali volatile cochleariæ avolavit multum, indéque natura herbæ alkalina vehementer mutata est; sed an mutata tota? An mirandæ curationes putridi scorbuti, ægris, armentorum instar, crudam de pratis herbam vorantibus factæ, præsens non habuere alkali, idque copiosum? Deindè in Pringleanis sufficiens distinctio inter fermentationem & putrefactionem desiderari mihi videtur. Desiderari etiam arbitror debitam distinctionem putrida inter & alkalina. Putrida multa cum acidis non effervescunt, donec certum adipiscantur putredinis gradum, quo fiant alkalina. Necdum etiam mea experimenta me convicere de vera putredine, etiam nondùm alkalina, in vivente corpore animali. In tot morbis putridis, etiam conclamatis, dum

ſanguis venâ tuſâ eductus, aut aliundè affluens, examinatus eſt, nunquàm, ne in peſſimis quidem variolis, putredinis ſigna vel minima mihi dedit. *Mortono* putridus ſanguis de vena exiliens deſcriptus, ob raritatem hîc vix memorandus eſt. Et demùm non datur in totâ chemiâ machina, quæ utcumque machinæ humanæ ſimilis ſit: comparentur alimenta & potulenta cum excretis ſecretiſque omnis generis, an huic ſimilem poſſideat chemia machinam? Undè donec clari, quem veneror, ſemperque venerabor, auctoris, experimenta elucidentur, cochleariam, naſturtium, allium, &c. vocabo calida alkaleſcentia, imo alkalina antiſcorbutica.

Numquid ergo in vegetabilibus, præter prædominans acre, aliquid aliud eſt, quo ſic operentur, ut acre illud nihil obſit, & illud aliud, quidcumque demum ſit, curam ſcorbuti peragat totam? Foretne vis eorum ſaponacea? an aliquid aliud?

An non his, qui ſaluti publicæ vi muneris coguntur invigilare, incumbit ut ſupremæ poteſtati ea indicent, quibus horrendus hic morbus præveniatur? Et an inter hæc conſilia etiam

hoc ſalutare non ſuadendum, ut loco tantorum vegetabilium ſiccorum, parentur in doliis ſucculenta vegetabilia omnis ferè generis ſale condita, ut nunc pauca modo parari ſolent? Si viri clariſſimi *Poiſſonnier* aquas marinas levi negotio potabiles reddendi ſuccedat conatus, laudes merebitur æternas.

An ad ſtupendas & celeres ſcorbuti curas plurimum non contulit aura ſerena, in quam ex navi deducti ſcorbutici inducerentur, & qua compluribus fruerentur diebus?

Purus, ſiccus, tepens aër, partem medicinæ in his expleverit neceſſe eſt, dum humidus frigiduſque aër ſymbolam adeò magnam morbo generando contuliſſet: ſed abſoluta talis puri ſicci tepentiſque aëris neceſſitas non demonſtratur ex eo, 1°. quod ægri ſæpè jacuerint in littore ſub tentoriis, ubi certò & humidus aër, & frigidus ſæpè eſt: 2°. quod plures tales celeres curæ peractæ ſint, ægris in continentem non expoſitis, verùm nave detentis. Curam verò fortunatiorem ac celeriorem bono cum aëre expectare oportet.

§. V. Quid demùm cauſæ, quod

marini ſcorbuti, ejuſque peſſimi, ſæpè tam celeris, atque perfecta cura fuerit; quodque terricolarum ſcorbutus curam noſtram toties diuturnam, laborioſam, ac ſæpè impoſſibilem arguat? An doſis eſſet medicamentorum, quam ad guttulas, ad cochlearia, ad vaſcula aliquot nucthemeri ſpatio evacuanda, præſcribimus; interea dum hiſtoria marina homines curatos oſtendit illos, qui vegetabilia cruda integris manipulis, qui poma aurantia & limonia denario numero, qui præterea herbas & fructus, coctos, elixos, aſſos, juraque eorum, ad victum ſic adhibebant, ut nullâ re aliâ veſcerentur?

CAPUT V.

DE MACHINA AD CURANDUM ILEUM DESPERATUM.

§. I. *Communicantur duæ epiſtolæ agentes de machina, nuper in Italia excogitata, qua tres homines, ileo deſperato laborantes, integræ ſanitati brevi reſtituti ſunt; referentes quoque facta in canibus cum eâdem experimenta.*

§. II. *Traduntur novem mea experi-*

menta cum hac machina capta; quâ occasione etiam phænomena, quæ circa vermium in corpore animali domicilium, & circa vitales actiones, observabantur, noto. §. III. *Quatuordecim corollaria tam theoretica, quàm practica, ex dictis deducta.*

§. I. ERUDITISSIMUS ac solertissimus Medicus *Joannes de Videmar*, celeberrimus *Mediolanensis* practicus, ad promovendam Medicinam natus, jam pluries de ejusmodi machina ad me scripsit, quæ excogitata in *Italia*, ad desperatum ileum morbum, præsente jam vomitu stercoreo, solvendum pluries admota, nonnullos homines mortis faucibus eripuisset, eosdemque spatio incredibiliter parvo reddidisset sanitati.

Primæ ejusdem literæ ad me datæ XII. Kal. Jan. 1762. sic se habent: » Machinam, de qua aliàs sermo fuit, » à domino physico *Molinari* huic no- » stro fabro *Laurentio Mazzoni* deman- » datam, istuc brevi deferendam in- » telligo; ita binas alias historias, ad » eam spectantes, quæ bis fortuna- » tum obtinuere eventum, tibi com- » municatas volo; eaque simul in de-

» natis per me capta experimenta co-
» ram Archiatro *Vandelli*, ut de ejus
» uſu certiores apud litteratum orbem
» rationem reddere queamus. Et primò:
» Ruſtica mulier toroſa, quartum
» agens luſtrum, poſt magnam ſalſa-
» menti, fructuumque horæorum,
» ingurgitationem, quatuor miliarium
» iter ſuſcepit. Domum redux dolori-
» bus ad ileum dextrum vexatur, cum
» abdominis intumeſcentia, vomitu,
» anxietatibus: nihil profuere ene-
» mata ſæpiùs applicita, nihil iteratæ
» venæ ſectiones, nihilque fotus emol-
» lientes, & oleum lini magnâ ſatis
» copiâ epotum; ita ut ad octavam
» diem increbeſcentes, jamque mo-
» rituram proclamantes, ut transfer-
» retur machina, conſcii ſuadeant
» nonnulli: quâ applicatâ magna te-
» pentis aquæ copia quatuor dierum
» ſpatio, ſed per intervalla, injecta,
» mirum! dextram abdominis intumeſ-
» centiam ſe movere viſum eſt, do-
» loreſque demulceri ceperunt, mul-
» tiſque brevi poſt dejectionibus libe-
» rata fuit.
» *Frater Joſephus Fidelis à Medio-*
» *lano*, Capucinus, moribundis in
» xenodochio adſtans, quadragena-

» rius, poſt diuturnam toleratam fe-
» brem vix reconvaleſcens, in vomi-
» tum ferè continuum incidit, ma-
» teriei primò aquoſæ, virideſcentis,
» magnæ copiæ, ſingultibus identi-
» dem comitantibus, nulliſque trium
» dierum ſpatio ſedibus. Omnibus in-
» caſſum adhibitis; fœtentes jam in-
» cipiebat vomere fœces. Re in anguſto
» ſic poſitâ, adſtans Chirurgus &
» Lithotomus magni nominis *Domini-*
» *cus Ocelli*, machinam experiri ſoli-
» tus, ad eam confugiendam eſſe au-
» tumavit, motum periſtalticum in-
» verſum revocandi ergo. Manu operi
» admotâ, paulatim, ſed repetito,
» injicitur tepida: paucæ, ſed crebræ
» redduntur ſedes, (qui effectus ma-
» chinæ hujus ſingularis & proprius
» alvum crebrò irritandi,) brevi ceſ-
» ſat emeſis, permanente adhuc ſin-
» gultu; verùm analepticis recreatus,
» integrè convaluit, prout mihi retu-
» lit idem ægrotus.

» Ad ea, quæ in denatis ipſe ani-
» madverti coram teſtibus, nunc de-
» venio. Nudatis igitur inteſtinis,
» aqua per machinam injecta paulatim
» præterfluere omnes inteſtinorum con-
» volutiones, uſque dum continuato

» per os exiret rivo, conſpexi; ne
» guttula quidem in cavo abdominis
» ejecta, intactis, etiamſi ſatis exten-
» ſis, inteſtinis; neque tam impleta
» ac diſtenta inveni, ut rupturæ peri-
» culum minarentur, quin majori ex-
» tenſioni locus foret. Iterato periculo
» in cadavere, cui ileum pone valvu-
» lam apertum fuit, aquam vix ad
» libram injectam per aperturæ locum
» exire vidimus, nihil prorsùm re-
» ſiſtente valvulâ, haud ſecùs, ac ſi
» nulla adeſſet: ex quo vera ſcripſiſſe
» *Matthæum de Gradibus*, *Guainerium*,
» alioſque, intelleximus, qui ſuppo-
» ſitoria in anum intruſa, abrupto vi
» filo, per os ejeciſſe ægrotantes nobis
» tradiderunt; quin imò digito im-
» miſſo in colum, deſursùm versùs
» abſque ulla reſiſtentia in ileum tran-
» ſiviſſe animadvertimus.

» Nec per conſtructam machinam
» iſtuc quantocyùs tranſlaturam experti
» fuimus aliis duobus in cadaveribus;
» hinc pari modo injecta aqua ultra
» valvulam præterlapſa non fuit; ita
» ut non ſemper æquè conſtructam,
» neque in omnibus æquè validam eſſe
» fateamur oporteat; quemadmodum
» & *Hales* in canibus, aliique in ho-

» minum cadaveribus anatomici anno-
» tavere. Horum duorum cadaverum
» inteſtina ad ſpithamæ longitudinem,
» ſupra & infra valvulam, de induſtria
» diſſecui, atque è corpore extraxi,
» in diem ſequentem periclitaturus,
» quid indè eſſet. Injectâ igitur in co-
» lon aquâ, in ileum pertranſiit; mi-
» nimè miratus ſum, eo quod partes
» in ſitu quamdam habeant actionem,
» quam non retinent divulſæ, quem-
» admodum partium uſus in denatis
» valdè laceſſitur.

» In vivo cane de induſtria parato
» iterùm periculum fecimus, in eoque
» facillimè tepidam omnes inteſtino-
» rum anfractus, ad pylorum uſque,
» pervaſiſſe vidimus. Ex quibus patet
» inſtrumentum hoc nullum neque in
» vivis conatum poſſe; eo magis, quia
» dum ſatis eſt, injectio de ceſſatione
» admoneat, atque extracto tubulo
» immediatè poſt rejiciat aquam. Hæc
» de machina ſatis. »

In ſecunda epiſtola data *Mediolani* Sept. Kal. Jun. 1762. ſic ſcripſit: » Ha-
» bes hîc annexam delineationem, at-
» que deſcriptionem machinæ, clyſte-
» ris vice adhibitæ. En caſus! Mulier
» ferè quinquagenaria, colicis dolori-

» bus quatuordecim dierum ſpatio ve-
» xata, nihil prorsùm per inferiora
» emittens, omnia evomebat; in-
» caſſum adhibitis clyſteribus emollien-
» tibus, acribus, ipſoque tabaci fumo,
» atque oleo amygdalino cum hydrar-
» gyro deglutito, nec repetitis venæ
» ſectionibus ac balneis, levari potuit.
» Ipſo momento, quo machinæ ope
» injecta fuit ſaccharata aqua, tot de-
» jecit prædura ſcybala, ut vix credi
» poſſit; quibus exactè inſpectis, præ-
» multi uvarum acini, jam multis
» menſibus retrò comeſti, reperti ſunt.

» Verùm quidem eſt, quod mulier
» hæc multos ſuſtinuit labores in aquæ
» violentâ injectione, quemadmodum
» optimè notat exp. *Hales* in *Hæmaſt.*
» *Exp.* 25, ac parùm affuit ne in animi
» deliquium laberetur in fœcum de-
» jectione; aſt analepticis roborata,
» in diem ſequentem injectione iteratâ,
» iterúmque interpoſitis aliquot diebus
» repetitâ, optimâ nunc fruitur vale-
» tudine, quæ iliaco morbo mori pro-
» ximè videbatur.

» Haud abſimilis ei hæc machina
» eſt, quæ ad extinguenda incendia
» apud *Martin* deſcribitur, in *Gram-*
» *matica ſcientiarum.*

» Jam in cadavere machinam hanc
» experti ſumus, vidimuſque aquam
» ad pylorum uſque adſcendiſſe; aſt
» ignoro uſque dum, an in omnibus
» cadaveribus hoc eventurum ſit? Re-
» petitis experimentis te commonefa-
» ciam. Dubium tamen eſt an, poſito
» quod æquè eveniant in omnibus de-
» mortuis, in vivis pari modo even-
» tura ſint, (quemadmodum & tu no-
» tas ſuper *Haleſiana* experimenta,)
» majorem propter *Tulpianæ* valvulæ
» vim in his, quàm in illis.

» Clariſſimus *Hales* loco citato, &
» tu quoque in capite *de Tympanide*
» *& Ileo morbo*, Medicos admones ut
» hujuſmodi caſibus enemata excogi-
» tent tantarum virium, quæ inteſti-
» norum obices tollere poſſint. Hæc
» tibi communicata hiſtoria ſatis evin-
» cit, quantæ ſit efficaciæ ſimilis aquæ
» injectio. »

His ita à digniſſimo viro perceptis, curavi mihi juxta delineatam calamo effigiem machinam ejuſmodi parari: quam tabulam lubenter communicaturus eſſem, ſi in actis *Bononiæ*, aliûſve Italicæ Eruditorum Societatis, non proſtaret brevi; & niſi, ut ante monitum eſt, ferè ſimilis haberetur in *Martini Gram. Scient.*

§. II. Die Martis 28. hujus anni, primum experimentum in noſocomio fecimus in cane vivâ, mediocris magnitudinis. Injecimus tribus iteratis vicibus in inteſtinum rectum libras medicas unciarum XII. propemodum ſex aquæ tepidæ.

Poſt ſingulas injectiones canis incredibili impetu aquam cum ſtercoribus ad 4. 5. pedum diſtantiam expulit ano. Has tres injectiones ſpatio horæ quadrantis abſolvimus.

Liberata canis per 3. 4. minuta ſpatioſum cubiculum circuivit, corpus poſticum totum madidum ubique affricans. Poſtea cucurrit alacriter, benè dormivit, ſaltavit, manducavit eo & ſequenti die.

Violenta hæc vis, qua injecta aqua ad tertiam uſque vicem reſiliret, noſque injectionem ter repetere cogeret, ſuſpicionem dabat an valvula *Bauhiniana* tranſitum non denegâſſet.

Undè die 29. & 30. & 31. Martii eodem modo experimentum repetivimus, eumdem an effectum editurum eſſet curioſi. Et phænomena injectionis eadem erant, & æquè bona canis poſt injectionem valetudo.

Undè 1. Aprilis experimentum ſic

mutavimus, ut ano benè circum ſiphunculum clauſo, & cane meliùs intra manus firmatâ, ſex ad minimum libras continuatâ operâ injecerimus. Porrò dum libræ penè quatuor injectæ erant, canis vomere cepit, primò aquam, dein cibos, vermes tandem teretes vivos. Injectione interim pergente, vomitus rivi lati inſtar proſiliit ad diſtantiam 3. aut 4. pedum.

Vis ergo machinæ continuatior reſiſtentiam valvulæ ſuperavit.

Animus erat ilicò interna examinare. Strangulavimus canem, & aperuimus. Craſſa inteſtina modicè, tenuia minùs, ventriculus immenſè diſtentus erat.

Apertis colo & ileo, oblongum in valvula hiatum deprehendimus.

15. Aprilis ſano ac vegeto cani unicâ continuatâ vice, niſi quod ſemel quidquam alvus reſiliret, injecimus ultra octo libras aquæ tepidæ. Poſt injectas 5. libras vomere cœpit, pluriesque vomitum exindè repetivit. Paucis poſt minutis à ſordibus canis mundatus, ac linteo ſiccatus, hilaris ac ſanus fuit per plures dies; poſtea dimiſſus adiit ilicò ſuum in vicinia herum, reditque adhuc ſæpè nos blandè ſalutaturus.

18. Aprilis in cadavere humano vires exploravimus machinæ. Sexagenario major cum calculo in vesica in nosocomio obierat. Vesicam cum calculo primùm eduxeramus, ne utilissima demonstratio, quam posthac communicabo, turbaretur. Injecimus tunc ope machinæ tepidam per anum, quæ ut faciliùs progrederetur, intestina plurium manibus molliter compressimus; sic tamen ut aquæ progressum levatis sæpè manibus benè contemplaremur. Vidimus intestina crassa citò impleri; nonnullam quidem nasci ad valvulam remoram, sed brevi sublatam; injectam aquam momento citiùs intestina tenuia permeare; non extendi ea notabiliter; ventriculum autem valdè turgidum fieri, oreque mox elabi aquam. Valvula hiabat; antequàm verò perscinderemus, ex colo aquam in ileum promovere satagebamus, haud æquè feliciter in quovis intestini situ: certus ac determinatus situs requirebatur, ut ex cæci sacco aqua in ileum transiret.

3. Maii canem masculum 16. mensium, fortem, nacti, experimentum iteravimus. Validâ corporis contorsione & ejulatu tres primæ tepidæ libræ

vi expellebantur ano. Quo dein accuratiùs circum cannulam firmato, tres alias libras commodè, & non interturbatè, injecimus: aqua interim vomitu quidem valido, ſed eo, qui in primo cane obſervatus, debiliore, ejectabatur, cum paucis cibis, & teretibus lumbricis, ad tertiam uſque vicem.

Decreveramus etiam hunc extemplo aperire; ſed quum indè minùs rectè, quàm priores canes, ſe videretur habere, pepercimus ejus vitæ, viſuri an quid ab operatione infortunii obſervari daretur. Aſt horâ elapſâ canis per omnia ſe ſanum eſſe demonſtrabat. Quum haud illepidus cuiquam placeret, qui pro ſuo magno ac vetuſtiore cane libenter eum mutaret, dedimus illi noſtrum, poſtquàm per novem dierum ſpatium certiores nos de ipſius perfectiſſima ſanitate reddidiſſemus.

Canem ergo majorem illum 12. Maii ad experimentum ducentes, ſpatio binis minutis breviore injecimus aquæ tepidæ 8. vel 9. libras, quæ incepere tunc violènto ſaltu, minùs tamen violento, quàm in primo experimento, ore exſilire. Vomitus iterùm

ut in prioribus ter repetierat, isque singulâ vice copiosissimus. Materies ejecta partim aqua erat, partim copiosa caro, partim lumbrici teretes, digitum, sesquidigitum, longi, valdè graciles, partim copiosissima tænia, & gluten multum.

Apertis per longitudinem intestinis deteximus innumerabilium tæniarum copiam, sic ut catena cohærentium sibi cucurbitinorum vermium, sive ascaridum planorum, hinc indè, fortè per vim aquæ, fracta, plus vigesies iret, rediretque per totam tenuium intestinorum longitudinem glutine involuta copiosissimo. Lumbrici teretes tæniam concomitabantur ubique.

Peculiare in hoc cane fuit, quod colon in medio ventre sub umbilico originem haberet, rectáque descendens, mox rectum formaret; longitudinem igitur unà cum toto recto 8. vel 9. pollices emensum duntaxat: quale quid & in homine *Dionis* se testatur observâsse. Ceterum breve hoc colon ab injecta aqua probè elutum erat, compactas modo fœces & in ortu suo, & in magno suo processu vermiculari, gerens.

Utrique cani, quem strangulave-

ramus, effectum machinæ contemplaturi, laxato poſt apertum abdomen & thoracem fune, vita pulcherrimè redibat. Quo animadverso, mox ad actiones vitales contemplandas, reliquo examine ad tempus dilato, nos accinximus. In priore cane, aperto pericardio, cor pulſabat uno tempore æquabiliter, alio inæqualiter : vitâ labaſcente, per vices quievit & palpitavit. Levis digiti attactus momentaneam vitam reddebat. Attenti ad ultimum cordis motum, vidimus utrumque ejuſdem ventriculum æquabiliſſimè agere, & æquè fortiter ; idque etiam ubi poſt aliquantillam quietem, ſive ſponte, ſive flatu, tactuve, ſuos redintegraret motus. Quo autem certiores hujus eſſemus, cor parùm invertebamus, ut cum ſinu & auricula ſua ventriculus ſiniſter ſub liberiorem conſpectum caderet ; undè ſiniſtrum cor pulcherrimè agere cernebamus, ut antè videramus pro parte,

Quod autem diù, diſtinctéque, ac de induſtria, notabamus, vix cuſpis dici poterat ad baſin in ſyſtole multum accedere, idque etiam à principio, dum cordis validior motus exiſteret, notavimus. Dicendum potiùs eſt in

ſyſtole cuſpidem, & latera ventriculorum, ſe ſimul leviter contrahere.

Arteria intercoſtalis perſciſſa pulchrè oſtendebat velociorem illum ſaltum, quem arterioſus ſanguis ad ſingulam cordis contractionem edit.

Uterque cordis ventriculus apertus multum, ſiniſter autem plus, ſanguinis continebat.

In altero cane pericardium ægrè à corde ſecedebat. Attenti ad omnia, vidimus clarè in ſyſtole cordis baſin, æquè ac mucronem, & parietes, ad ſe invicem accedere, & cor facere ſe ipſo minus: motus verò vitalis ad finem uſque pergebat æqualiter in utroque thalamo, inverſo corde, quemadmodum in cane priore, ut cordis ſiniſtri motus aptè conſpici poſſet. Tandem, quod non in cane priore, ceſſante motu vitali ventriculorum, auricula dextra quater vibrabat, quo tempore ſiniſtra ſemel. Cor ſiniſtrum cum ſua auricula æquè plenum ſanguine, quàm ſuâ cum auriculâ dextrum. In ſinu dextro polypus magnus.

In utroque canum experimento dextrum cor non vixit ſiniſtro diutiùs. An quod, corde in ſitu manente, cor ſiniſtrum minùs conſpicuum ſub ulti-

mis vitæ ſcintillis mortem teſtari maturiorem videatur ? Igiturne aliquâ cordis inverſione opus, ut certi quid affirmemus, detegamuſque errores ?

In humanorum cadaverum examine cor ſiniſtrum ſæpè minùs quàm dextrum repletum inveni, ſæpè æquè repletum, aliquando repletiùs. A methodo ſecandi multùm pendet : qui cor dextrum priùs aperiunt, hi motu, preſſione, evacuant cor ſiniſtrum plus, quàm aliter ; qui ſiniſtrum priùs, eamdem ob cauſam poſſunt dextrum inanire.

§. III. Finem capiti huic, & ſimul operi, imponam quibuſdam corollariis & problematibus.

1°. Patet in canibus factâ machinæ operatione ſic, ut aqua injecta bis, ter, cum fæcibus alvo expelleretur, vomitum non adfuiſſe.

2°. Canes poſt hanc operationem minimè ægrotâſſe.

3°. Quod vomitus non ſucceſſerit, violentéque ex ano fuerit expulſa aqua, id minùs videri valvulæ reſiſtentiæ tribuendum, quàm quidem canis motui, contorſioni, clamori, elabendi conatibus.

4°. Id evidenter patuiſſe, quando

cane prudentiùs firmato, injecta continuatim aqua vomitu repetito expulsa fuerit.

5°. Experimento eo usque producto, ut violentus, repetituſque sequeretur vomitus, unàque cum aqua cibus, gluten, multuſque tum teres vermis, tum latus; igitur eo usque, ut vis valvulæ coli penitùs superaretur, ut motus periſtalticus naturalis sufflaminatus, & ut motus antiperiſtalticus esset præternaturaliter auctus; experimento, inquam, sic aucto, canes tamen nullam indè habuisse, imò ne à sæpiùs quidem repetitâ eadem actione, sanitatis jacturam aut læsionem.

6°. Canibus stantibus, ac quatuor pedibus suis supra mensam detentis, quum injectionem fecerimus, quæritur utrum injecta aqua faciliorem hinc habuerit, an difficiliorem motum ad os usque? Et an saltem in homine iliaco, dextrum in latus pro more verso, injectione minùs succedente, situs non foret, qualem in canibus observavimus, conciliandus?

7°. Et in canibus, & in hominum cadaveribus, quæ clar. *Widemar*, quæ nos, aperuerimus, apertave contemplati fuerimus, omnia inteſtina mo-

dicè tantùm turgida inventa eſſe : videri hinc eam vim machinæ eſſe, ut omnes in via reſiſtentias multo leviore negotio ſuperet, quàm ut per reſiſtentes potentias ſuam viam amplificare cogatur. In vivis quidem inteſtinorum vis contractilis juvare dici poteſt; in cadaveribus autem haud ita.

8°. Cur in iiſdem experimentis (n°. 7.) ventriculus maximè expanſus ? Replendus is erat donec vel finderetur, vel per orificia evacuaret ſe ſua : per orificium inferius ſive dextrum non poterat, impellente fortiùs machinâ; ergo per ſuperius tantum, ubi primum ſic repletus, ut capere ultra non potuerit.

9°. Haud in canibus duntaxat, verum nec in hominibus, hucuſque inventam eſſe per ſe lethalem eam, ſuperna verſus, *Tulpianæ* valvulæ aperturam, ut aqua, ut ſtercora, ut enemata, ut etiam ſuppoſitoria, ex recto & colo adſcendant, & ore evomantur. Caſus *Matthæi de Gradibus*, *Guainerii*, pueri, de quo *Rat. Med. tom. 3.* tandem & trium illorum, quibus, referente clar. *Widemario*, hæc machina vitam ſervavit, apertè hoc evincunt.

10°. Caſus dari ex obſervationi-

bus, quos machina hæc minimè curet : quales enim binos expertus sit *cl. Widemar* insuperabilitatis valvulæ, tales plures reperiundos fore. Jure proinde *Italos* Medicos & Chirurgos laudandos, qui in vivis hominibus, ne unâ vice nimiùm urgendo obessent, lentè adeò & prudenter progressi sint.

11°. Meditationi pathologicæ multam materiem à vermibus in canibus repertis suppeditari. Ac 1°. quidem ope machinæ in binis canibus vermes teretes plures vomitu ejectos; in tertio magnam copiam teretium & latorum. 2°. In anatome canis posterioris tæniam copiosam, multosque illos teretes vermes, intestina ferè tota expleviſſe. 3°. Eosdem copiosissimo ac tenaci inhæsisse glutini. 4°. Cur tota hæc moles, aut cur saltem primo in ortu, motu peristaltico, & transeunte chylo, depulsa non fuerit, mirum videri; quum quo affigat sese, quove retineatur, nullibi appareat quidquam. 5°. Retinereturne hæc vermium ac glutinis moles à motu antiperistaltico naturali? Sed cur tunc chylus, cur incipientes non retineantur fœces? Numquid copiosi adeo vermes suo motu & reptatu non plus, quàm alia ibidem contenta,

canalem

canalem inteſtinalem ſtimulent? & cur haud expellantur tamen? 7. Poſſiderentne vim ſuſtinendi ſe, motui periſtaltico reſiſtendi, affigendi ſe, dum pelluntur, tuendique domicilium? 8. Ideóne inefficax toties antihelmintici vis, quod tenaci glutini involuti vermes, tutique hæreant? 9. Viſne antihelmintici ea præcipua ſit, quæ gluten incidere, pellereque, ſit potis? 10. An allium, aſſa fœtida, fuligo cruda caminorum, &c. ſæpiùs ſumta, vermes in medio ſuo glutine ſic afficerent, ut ſede mutari cogerentur, & vel ſpontè ſurſùm deorſúmve exitum quærerent, aut catharctico fortiore tunc facilè expellerentur? An verò hæc tantum in gluten deſtruendum potenter agendo inſecta fugent?

12°. An indè fortè capiatur cur alvo nonnunquàm prodeant corpora ulnâ longiora, inteſtinum cavum longitudine, amplitudine, cavitate, referentia; quale quid ſtupenda eruditione clarus *Juſtus Lipſius*, teſte Medico ſuo *Heurnio*, *patre*, excrevit? & quale præſtantiſſimum collegam, variis portionibus, quas inter unam quatuor ſpithamarum, excreviſſe vidi? Utique glutinis immenſi, inteſtina op-

plentis, copia, ſive genita cum vermibus, ſive aliundè, poſſetne aliquando inſpiſſari, condenſari, conglutinari cum cavo inteſtino, & poſt leienteriam, poſt atrophiam à tot obſtructis lacteorum oſculis, naturæ demùm bonitate ſub hac expoſita forma excerni?

13°. Si tandem, plurium iliacorum curatorum exemplis, cunctis meridiano ſole clariùs conſtiterit *Tulpianam* valvulam à machina innocuè aperiri, totumque inteſtinalem tubum ſe tutò per os evacuare; an tunc in difficillima cura vermium, cum maximè latorum, machina applicanda non foret vicibus repetitis, ut *Itali* fecerunt; quandoquidem viderimus ab unica applicatione, ſed fortiore, & lumbricos multos, & copioſam, cum muco abundantiſſimo, expulſam tæniam? Animus eſt, ſi denuò canem tænioſum nactus fuero, ſingulo tertio quartove die experimentum toties repetere, donec ultra nihil de verme prodeat; incidere demùm canem, viſurus num penitùs à vermibus immunis ſit, necne?

14°. D. experimentis, circa actiones vitales in vivo animali utroque

hîc captis, notandum id cenſeo, quod in omnibus canibus ac felibus, quos ad contemplandam hanc actionem unquàm vivos contemplatus ſum, rem non ſemper, ut hîc, invenerim; verum perpetuo cum mira in aliis atque aliis varietate: undè concludo 1°. illegitimam quamcumque regulam phyſiologicam fore, quam ex ejuſmodi phænomenis, adeò inconſtantibus, obtrudere quis vellet. 2°. Magis illegitimum eſſe actionem ſani vegetique animalis ſic exponere, & per ea explicare velle, quæ in eodem vulnerato, convulſo, agitato, cum morte luctante, cum abſentia reſiſtentium potentiarum, quæ olim partes in debito ſitu detinebant, fulciebantque, obſerventur. 3°. Maxumè illegitimum vitalitatem humanam, ſanam, explicare, & comparare cum phænomenis, quæ animal vulneratum, & cum morte luctans, inſigni varietate & inconſtantiâ offert contemplantibus.

Atque hîc tandem finem operi impono, ſolito jam protractiori, quàm ut notabiliores caſus Chirurgicos & Anatomicos, quorum tamen ſcire intereſt, adjungam eidem: undè hos ad

proximè ſubſequentem tomum reſervabo.

Finis Partis octavæ Rationis Medendi.

De l'Imprimerie de P. ALEX. LE PRIEUR, Imprimeur du Roi, rue S. Jacques, 1764.

ANTONII DE HAEN,

CONSILIARII ET ARCHIATRI

S. C. R. A. MAJESTATIS;

NEC NON MEDICINÆ PRACTICÆ

IN UNIVERSITATE VINDOBONENSI

PROFESSORIS PRIMARII,

DE

FEBRIUM DIVISIONIBUS

TRACTATUS.

PARISIIS;

Apud P. F. DIDOT, Juniorem, Bibliopolam ad Ripam Augustinianorum, propè Pontem Sancti Michaelis sub Signo Sancti Augustini.

M. DCC. LXIV.

Cum Approbatione & Privilegio Regis.

ANTONII DE HALEN,

CONSILIARII ET ARCHIATRI

S. C. R. A. MAJESTATIS,

NEC NON MEDICINÆ PRACTICÆ

IN VNIVERSITATE VINDOBONENSI

PROFESSORIS PRIMARII,

DE

FEBRIUM DIVISIONIBUS

TRACTATUS.

PARISIIS,

M. DCC. LXIV.

AUDITORIBUS SUIS

S. P. D.

ANTONIUS DE HAEN.

EN Vobis de Febrium Divisionibus Pertractationem! Hanc fateor inde genitam, quòd Medicinæ Candidatis nonnunquam minùs adæquatè in Examine respondentibus, memet aliquando accusaverim ipse, quòd Pathologiam adeò latè patentem fortè minùs concinnâ Methodo traderem vobis, aut saltem breviore temporis spatio coarctatus, minùs exactè atque succinctè tradere valerem. Horum sive alterutrum, sive utrumque emendaturus hæc vobis Typis excusa dedico.

Cum porrò de genere Febrium quocumque dicendum foret, etiam

Miliares ac Petechiales febres peractandæ fuerunt. In his pertractandis difficillima se Quæstio obtulit; utrùm Exanthemata Miliaria ac Petechialia salutaris Naturæ opus essent, an præposteræ Artis? Utrumque quidem assero, sed ita ut posterius longè frequentius priore definiam. Prævideo autem facilè, quemadmodum Criticum Naturæ opus intra arctiores coegisse cancellos multis videbor, ita etiam aliis vulgari opinioni nimium concessisse me visum iri. Ast verò quis in lubricâ viâ non aliquando vacillet? Æqui Verique unus me duxit amor; sed quis mortalium est, quem præceps animus, quem etiam præjudicia non abripiant subinde? Præterquam quòd omnibus ex æquo satisfacere arduum, ne dicam impossibile, sit. Ut autem quæ sincera mea intentio fuerit evidenter intelligatis, vobis dicendorum summam.

Dantur Exanthemata Petechialia & Miliaria, *Critica*; dantur merè *Symptomatica*; dantur denique *Accidentia* aut *Accidentalia*, ut vocant, pravâ arte producta. Peſtilentioſis temporibus *Critica* frequenter, frequentiùs *ſymptomatica* deſcribuntur Autoribus: tempore autem minimè peſtifero Exanthemata hæc tum *Critica*, tum *Symptomatica* rariora ſunt; *Accidentia* verò, fatali ſcilicet arte genita, frequentiſſima.

Hinc jure concludere videor Arteme juſmodi, Methodumve infauſtam proſcribendam eſſe, & temperatam neceſſariò inducendam unicèque nobis colendam; quæ ut univerſis morbis acutis conducit, ita etiam hiſce Exanthematibus generandis adverſa eſt; quæque, ſi aut *criticè*, aut *ſymptomaticè*, aliquando hæc Exanthemata prodeant, æquè proficua ac ſalutaris eſt; utpote, quæ in Variolis ac Morbillis, morbis ſcilicet à Naturâ genitis, tutiſſima

dudum ac præſtantiſſima demonſtrata fuerit.

Hæc igitur ſi ita intellexeritis, veſtrâque in praxi ſequuti fueritis, obtinuiſſe me reputabo id, quod hoc meo labore intendo. Ac primò quidem ut ægri longè minore cum moleſtiâ ægritudinem perferant; calidiore nec renovato aëre, tegumentiſque ultra non ſuffocandi, medicamentis calidioribus haud ultra torquendi: ſecundò ut hominum ingens multitudo annuis deficiat Necrologiis. Inſignem hanc utramque utilitatem, præterquam quòd extranei Autores docuerint, hic demonſtratam invenietis, tum Clarorum in *Germaniâ* virorum obſervatis, tum propriis, quæ vel vidiſtis ipſi, vel examinare poteſtis, experimentis. Faxit T. O. M. DEUS, cujus in honorem hæc prodeunt, ut Veſtræ felicitati ac Publicæ Patriæ ſaluti conducant! valete!

Dabam 5. Martii 1760.

INDEX.

DIVISIO I.

Ratione periculi aut celerioris, aut lentioris, aut nullius. pag. 1

DIVISIO II.

Ratione majoris minorisve numeri eorum qui eodem in loco ac tempore febre laborant. 2

DIVISIO III.

Ratione febrium Naturæ, sive prædominantis in iisdem symptomatis. 3

DIVISIO IV.

Ratione temporis quo febris perdurat; continuat, remittit, intermittit. 6

Divisionem hanc sex Scholia sequuntur.

DIVISIO V.

Hæc quinta eas Febres continet, quæ aliquam internarum partium inflammationem comitem habent. 15

DIVISIO VI,

Complectitur eas febres, quas eruptio quæpiam in Cute comitatur. ibid.

Octo varias §. habet.

§. I. *De Febre Erysipelatosâ.* 16
§. II. *De Febre Scarlatinâ* 18
§. III. *De Febre Petechiali.* 22
§. IV. *De Febre Miliari.* 32
§. V. *De Febre Variolosâ* 74
§. VI. *De Febre Morbillosâ.* 84
§. VII. *Additamentum ad priora ubi de igne sacro, seu igne* S. Antonii 90

§. VIII. *Additamentum alterum de letali exanthemate quopiam.* 94

DIVISIO VII.

Septima Diviſio eas continet febres, quæ non, ut Natura ipſarum indicare videtur, tractandæ ſunt, verùm ut Febris Stationaria, eo tempore ſive graſſans, ſive paulò ante graſſata. 95.

DIVISIO VIII.

Omnes febres continuæ putridæ, continuæ remittentes, etiamquæ Inflammatoriæ dividuntur in Malignas & Benignas. 103.

DIVISIO IX.

Hæc eos ſpectat morbos, qui nihil minùs, quàm febrim redolentes, tamen reipſâ & febres ſunt, & ut febres curandi ſunt. 104

DIVISIO X.

Febres complectitur, quæ nullis toto in corpore ſignis, quæ febrim denotent, deprehenſis, adeòque ſano cum pulſu, citra ullam vel ſitim, vel laſſitudinem tamen in certâ quâdam corporis plagâ dolorem, pulſum frequentiorem, ad determinatam horam habent, & periodicè redeunt. 108

DIVISIO XI. ET ULTIMA.

Continebit febres nonnullas, quas nec ad certam ſpeciem referre, nec idoneo nomine appellare poſſum. 109

ANTONII

ANTONII DE HAEN, TRACTATUS DE FEBRIUM DIVISIONIBUS, CUM DISSERTATIONE DE MILIARIBUS, AC PETECHIIS CÆTERISQUE FEBRILIBUS EXANTHEMATIBUS.

FEbris nomine eum morbum intelligo cujus ideam pulſus ſolito velocior abſolvit; ſive idem pulſus naturali fortior ſit, ſive debilior. Febris ita intellecta variam ſubit diviſionem.

DIVISIO I.

Ratione periculi, aut celerioris, aut lentioris, aut nullius.

Diviſio hæc febres conſiderat, ut *Acutas*, & *Chronicas*. Acutas iterum

ſubdividit in *Acutiſſimas*, *Peracutas*; & ſimpliciter *Acutas*. Communi ſignificatione omnes quidem acutæ febres periculum ſecum conjunctum gerunt, ſed eo majus, quo ſunt acutiores, omnium verò maximum acutiſſimæ. Communi ſignificatione, ajo; non verò ſtrictè loquendo: Dantur enim febres pleuriticæ, anginoſæ, &c. quæ nec magno cum periculo inchoënt, nec quartum ultra, ſeptimumve diem, excurrant. Imo periculoſiores ſunt cæteris paribus variolæ confluentes, tempus acutorum explentes, quàm diſcretæ, quæ intra peracutorum ſpatium terminentur. *Chronicæ* ſunt quæ vel nullum periculum importent, vel tardum.

DIVISIO II.

Ratione majoris minoriſve numeri eorum, qui eodem in loco ac tempore febre laborent.

Hâc de cauſâ dividuntur in Febres *Epidemicas*, & *Sporadicas*, ſeu, *Sporadas*. *Endemias* jam & *Stationarias*, ad priores jure referunt. Sed de hiſce latiùs ad Diviſ. VII.

DIVISIO III.

Ratione febrium Naturæ, ſive prædominantis in iiſdem ſymptomatis.

Varias admodum febres hæc tertia Diviſio complectitur, quas ordine juvat recenſere.

1. Ἡπίαλος dicta febris, quæ ſecundùm *Galenum* Libr. de Febr. differ. Cap. V. ad finem, Ea eſſet, in quâ homo omni febris tempore, ac quâvis corporis plagâ, & rigeret ſimul & caleret. Secundùm *Hippocratem* autem Epid. IV. pag. 1127. edit. *Foës.* explicantibus ita *Erotiano* & *Foëſio*, frigus in hâc febre cum perpetuo rigore obtinet, adeòque hoc ſenſu peſſimæ ſpeciei febris eſt, haud longæ ſanè moræ; cum jam homo eo in ſtatu eſſe perſeveret, quo febres pleræque, ab internâ cauſâ ortæ, inchoari ſolent, & quo etiam intermittentes ſimpliciter dictæ, ſi quandoque letales ſunt, hominem occidunt.

Rat. Med. Part. 2. *pag.* 202. dubius hærebam, num ægri in noſocomio noſtro perpetuò algentis, & ad finem paroxyſmi uſque exhorreſcentis,

febris ad ἠπίαλαν esset referenda? Quum ex eo tempore ejusmodi complures febres observari licuit, videtur omnino eo referenda esse; idque in utrâque tum *Galeni*, tum *Hippocratis*, significatione. Consulentes enim, & intuentes hos ægros, nil ex iisdem percepimus, nisi perpetuas frigoris, horroriſque, querelas: atque ita *Hippocratis* ἠπίαλας est: tangentes verò eosdem, haud ita frigescere, imo calescere potius, detexi-mus, & sic *Galeni* epiala est, ubi ægri simul ubique & calent & frigent. Quod nobis, thermometro usis, eo manifestiùs comparuit, dum frigoris tempore gradus caloris naturali major esset. Thermometro ejusmodi febres longè frequentiores experti sumus, quàm vulgò creditur.

2. Λειπυρίας πυρετὸς, cunctis satentibus ea est, de quâ *Hipp.* Aph. 4-48. & 7-72. agit, extremis algentibus, dum interna uruntur. Pessima in acutis conditio.

3. Ἀσσώδης πυρετὸς, febris vel stomachi fastidio perpetuo nauseans, vel perpetuis jactationibus ægros exagitans. Ultimo sensu ἄσση significat δυσφορίαν, ἄλυσμόν, ῥίπτασμόν.

4. Τυφώδης πυρετὸς. Typhos stuporem quidem attonitum apud *Hipp.* sig-

nificat, attamen magis propriè eam febrim, in quâ æstus ingens, & à Bile motâ putredo humorum, & stupor adest. Vid. Ill. L. B. *van Swieten*, Comm. in Aph. *Boerh.* ad §. 730. *Hipp.* quinquplicem speciem febris typhodis recenset, Libr. de intern. affect. Edit. *Foës.* pag. 553.

5. Ἔντικα, aut ulcere, aut vomicâ, aut effuso in cava corporis pure, nata; tum resorpto pure accensa, hincque & solida, & fluida, colliquando, occcidens.

6. Μαρασμώδης, febris humores consumendo, solida exsiccando, letalis.

7. Καύσος, ob intolerabilem æstum sæpius τὸ πῦρ *Hippocrati* dictus: est propriè *febris ardens.*

8. Ἐρυσιπελώδης febris, species Ardentis, cum erysipelate pulmonis. Vocatur etiam crymodes. *Foreſt.* Lib. 2.

9. Ἑλώδης sive Ἑλκώδης febris. Vid. *Galenus* Comm. in Aph. 7-42. ita attenuatis putredine humoribus, ut diuturnis sudoribus homo pereat. *Foreſt.* Lib. 2. Obs. 42.

10. Ὑδροπυρετός ferè similis priori; sanguine in aquam putrilaginosam ferè verso.

11. Φρικώδης febris, ubi medio in æstu subitum frigus; quod excepto cri-

seos ardentis tempore, pravum. Hoc nomine *Hipp.* adpellavit febrim *semitertianam*, quam describit Epid. 1. Sect. 1. pag. 940.

12. Λυγγώδης πυρετός, singultuosa febris, vocata etiam λυγμώδης. Hoc à λυγμός, illud à λυγξ, quod utrumque singultum denotat. Febris igitur in quâ à principio, ad crisin usque singultit æger. *Gal.* Lib. de Diæt. acut. com. 4. *Tilingius* apud *Bonet.* Med. Sept. Tom. 2. Lib. 5 similem febrim in curâ habuit. Legendum hîc pulcrum *Bonettis* scholion ad hanc historiam. *Bis in praxi meâ hanc febrim vidi.*

13. Febrim Oscitantem vidit *Olaus Borrichius* cum perpetuâ oscitatione. *Bonet.* Med. Sept. Tom. 2. Lib. 5. pag. 194.

DIVISIO IV.

Ratione temporis quo febris perdurat; continuat, remittit, intermittit.

Continet quatuor classes hæc divisio, quarum prima febres continuas non putridas habet. Sunt autem hæ:

1. Ἐφημερή.
2. Ἐφημερὴ protracta.
3. Σύνοχος non putrida.

Classis altera continet febres putridas acutas, nont remittentes. Sunt,

1. Σύνοχος putrida ὁμότονος, semper æqualiter decurrens.
2. . . . . ἀναβατικὴ, seu ἐπακμαστικὴ, semper adscendens.
3. . . . . παρακμαστικὴ, semper descendens.

Classis tertia continet febres Συνεχέες, continuas remittentes; ut sunt:

1. Κάυσος sive febris ardens.
2. Ημιτριταῖος semitertiana.
3. Τριταιόφυες, priori similis, nisi quòd paulò mitior.

Classis quarta intermittentes habet, quæ sunt

1. Quotidiana, quo etiam *Hippocratis* diurnam & nocturnam referimus.
2. Tertiana simplex.
3. . . . . duplicata.
4. Quartana simplex.
5. . . . . duplicata.
6. . . . . triplicata.
7. Quintana, damnata *Hipp.* quòd in solis tabescentibus eam observasset.
8. Sextana, quæ non *Hippocrati*, sed aliis memoratur.
9. Septana, *Hippocrati* descripta.
10. Octana *Hipp.* non descripta

exiſtens tamen *Simon. Schultzius* apud *Bonet.* Med. Sept. Tom. 2. Lib. 5. pag. 194. per ſex paroxyſmos; *ego per quatuor graves inſultus vidi.*

11. Nonana, *Hippocrati* notata.

12. Menſtrua, compluribus feminis, circa catamenia; viris, ante hæmorrhoidas; imò, notante *Sanctorio*, etiam citra hæmorrhoidas, familiaris.

13. Trimeſtris obſervata quibuſdam. *Ballonius* Lib. 1. conſult. Med. N°. 48. de ſe ipſo ſcribit, quòd quovis tertio menſe, circa magnas anni temporum mutationes Ephemeram pateretur, cum totius corporis gravitate, ſummâ inappetentiâ, &c.

14. Annua, quibuſdam ſolennis. *Ballonius* loco citato duo hujus exempla refert. *Unicum ſimile in praxi obſervavi.*

Ad horum porrò intellectum Scholia quædam addenda ſunt.

SCHOLIUM I.

Febres dictæ continuæ putridæ, ſive febres non remittentes exquiſitè ita dici nequeunt; cum omnes, ratione mutatæ athmoſphæræ, mutatæ diætæ aut medelæ mutatorum animi affectuum, ipſiuſque adventantis noctis, ſymptomate

quopiam imminuto, auctove, plus minùs remittant, aut intendant. Unde licet dicantur æquali ſemper paſſu progredi, licetque etiam conſiderentur ut à principio ad ſtatum æquabiliter ſemper ſive augeſcere, ſive decreſcere; id ſanè eo, quo nunc dictum eſt modo, intelligendum eſt. His itaque ritè conſideratis, id conſtanter verum manet, quòd æqualiter recurrant reſpectu συνεχέων, in quibus tanta adeſt vehementiæ tum remiſſio, tum exacerbatio, ut priores ab his, niſi continuæ non remittentes dicerentur, nullâ ratione interſtingui potuiſſent.

SCHOLIUM II.

Etenim propriè dicta febris ardens Καύσος, alternis diebus notabiles exacerbationes & remiſſiones habet: ut ipſa vel ejuſmodi tertiana ſit, quæ alternis diebus ingruens, ante ſubſequentem paroxyſmum non deſinat; vel ut componatur ex febre continuâ cum tertianâ. Vid. *Ill. Præſ.* Comm. in §. 714. Inſignem proinde à continuâ febre differentiam habet. Mutat tamen hunc ſuum typum nonnunquam, idque in magnum ægri detrimentum: ſive quòd

tertiana protracta, si ipsa per se ardentem hanc constituat, suos ita contrahat paroxysmos, ut demum exacerbatio incidat in diem parem; sive quòd tertiana, unà cum continuâ morbum componens, sua tempora similiter sic antevertat, ut paribus diebus contingat exacerbatio. Cum nunc judicium morbi quartâ exacerbatione fieri assolet, ideòque dies morbi septimus verus ejus criticus est, fit jam explicitis de causis judicium die sexto. Ergo remissionis tempora, reparandis viribus destinata, breviora fuerunt, quam ut Natura certamini quarti paroxysmi sustinendo par esset. Unde constantissima est observatio infidi, sexto die contingentis, judicii. Ita ut *Hippocrates* 25. judicia 6. die facta recensens, 13. letalia numeret, & 11. validas recidivas; unicum verò bonum modò referat, quod utrum ad 6. an ad anteriorem, posterioremve, pertineat, in ambiguo est. Saltem si *Virgo Larissæa* 6. die judicata est, idque perfectè, tribuendum id potissimùm est mensibus criticis, qui ipsi tunc primò prodiere, non modò illo sexto die, sed jam antea, vigente adhuc febre; & postea, crisi sextodie jam prægressâ.

SCHOLIUM III.

Ab hâc febre Ardente haud multùm abludit ἡμιτριταῖα, *ſemitertiana Latinis* vocata : calorem intenſiorem, atque horroris abſentiam, diebus ardentis febris imparibus, ſi exceperis.

Cum *Ill. Præſide* in Comm. ſuper Febr. Ard. triplicem hemitritæam Medicis deſcribi agnoſcimus.

1°. Tertianam, quæ paroxyſmos adeò protractos habet, ut vel nulla, vel parva admodum ejus intermiſſio obſervari detur. Hæc *Celſi* hemitritæa vocatur. Vid. *Celſ.* Lib. 3. cap. 3. Sed hanc *Celſi* opinionem *Galenus*, *Agathinum* refutando, jam rejecerat ; ut & deinceps *Robertus Conſtantinus*, vir ſummâ eruditione, ſæculo 16. in *Galliâ* clarus, Editionis *Celſi* pulcherrimæ editor, & mendarum in eo optimus caſtigator. Obtinuit tamen in ſcholis hæc *Celſi* opinio. Ipſa ardens febris ideò ab his, qui eam à tertianâ productâ oriri autumant, ad hanc *Celſi* hemitritæam refertur ; ut & illa continua remittens, quæ ex tertianæ duplicatæ productis admodum paroxyſmis, orta cenſetur.

2ª. Species ea *Galeni* eſt, quæ ex

complicatione quotidianæ ferè continuæ & tertianæ intermittentis, componi creditur. Vid. *Gal.* de Morb. Temp. cap. 8. Legendus hîc quoque *P. Foreſtus*, Lib. 5. obſ. 13. unà cum ſcholio: ut etiam obſervationes omnes, à 14. ad 22.

3ª. Ea eſt, quæ ex combinatione febris continuæ acutæ & tertianæ, conficitur.

SCHOLIUM IV.

Febres τριταῖοφύες à *Galeno* ſeparantur à ſpecie mox expoſitâ: an verò in eo bene fecerit, mentemque *Hippocratis* ritè aſſequutus ſit, liberum integrumque ſuis reliquit judicare Lectoribus. Nimirum rectè! nam ſi textus *Hipp.* de utrâque hâc febre agentes Epid. 1. pag. 940 & 945. ritè conferamus *Erotianique* ac *Foëſii* ſententiam ſuper iiſdem conſulamus, differentiam vix ullam detegimus, niſi fortè ſecundum majus & minus. Εἰσὶ δὲ οἱ λεγόμενοι μικροὶ ἡμιτριταῖοι, ait *Erotianus*.

SCHOLIUM V.

Semitertianæ hæ *malignitate* ita dictâ ſæpe non carent. Plura viſcera latenter

inflammant, inque gangrænam vertunt. *Baglivus* & *Hoffmannus* meſenterium; *Sennertus*, pluresque alii caſuum Collectores, univerſa penè viſcera affecta meminerunt. Hujus etiam *malignitatis* *Hippocrates* meminit Coac. Prænot. nº. 33. & 37. Imò Epid. Lib. 1. pag. 961. aſſerit: Ἐν δὲ τῷ ἡμιτριταίῳ καλομένῳ ξυμπίπτει καὶ ὀξέα νοσήματα γινέσθαι καὶ ἔστι τῶν λοιπῶν οὗτος θανατωδέστατος.

Porro qui ſuper hâc febre egregii *Mortoni*, optimi *Torti*, in ſuâ Therapeutice ſpeciali, & eruditi *Huxhami* in ſuis annorum Conſtitutionibus, mentem bene aſſequutus eſt, letalitatem ferè omnem præſcindit, ſi maturè advocatus vim diei imparis Cortice Peruviano prudenter retuderit.

SCHOLIUM VI.

Junioribus Medicis ſequentia notanda ſunt, ut morborum nunc enarratorum plures, quodammodò ambiguos, vero ſuo nomine *baptizent*.

Febris ardens ab hemitritæâ, & tritæophyiâ, internoſcitur ſuo intenſiore æſtu, omniumque intenſitate ſymptomatum.

Febris tertiana duplex ab hemitritæâ

distinguitur quâdam passim ἀπυρεξία, & semper quotidiano horrore: *hemitritæa enim alterno modò die horrores habet.*

Febris quotidiana intermittens à tertianâ duplici interstinguitur, primò quòd admodum parum exhorrescentiæ habeat, & sibi quotidie similis sit: Tertiana enim rigorem, horrorem, frigus, intensiora habet, quàm quotidiana. Secundò, quòd tertiana duplex suos habeat dissimiles paroxysmos; ita ut paroxysmi dierum imparium inter sese conveniant, conveniantque iterum ii parium dierum; neutri tamen cum alteris.

Quartana triplex iterum à binis præcedentibus internoscitur, quòd paroxysmus diei primi, sit ut diei quarti, ut diei septimi, ut decimi; quòd paroxysmus diei secundi sit, ut diei quinti, octavi, undecimi; quòd paroxysmus diei tertii sit, ut diei sexti, noni, duodecimi &c. Ita quidem ut vel accessionis tempore, vel durationis, vel alio atque alio symptomate, singulorum quartorum dierum febris tum sibi similis sit, tum à reliquorum dierum febribus quodammodò dissimilis.

DIVISIO V.

Hæc quinta divisio eas febres continet, quæ internarum partium aliquam inflammationem comitem habent.

Est itaque hujus Divisionis Febris Anginosa, Phrenitica, Peripneumonica, Mediastina, Pleuritica, Cardiaca, Paraphrenitica, Splenica, Gastrica, Hepatica, Pancreatica, Mesenterica, Enterica, Nephritica, Epiploïca, Peritonæalis, Hysterica, Arthritica, &c. Ast quâdam hîc cautelâ opus. Alio enim, quàm hîc, sensu Medicis nonnunquam memoratur febris v. g. Pleuritica vel Peripneumonica, vel alia; cujus explicatio ad Divis. 7. dabitur.

DIVISIO VI.

Divisio hæc febres illas complectitur; quas Eruptio quæpiam in Cute comitatur

Hinc febris vocatur Erysipelatosa, Scarlatina, Petechialis, Miliaris, Variolosa, Morbillosa, &c. Quare tot diversis Paragraphis hanc sextam divisionem pertractare necesse erit

§. I.

DE ERYSIPELATOSA FEBRE.

Eryſipelatoſa febris primò maculas rubras facit, quæ brevi in latas veſiculas elevantur. Febris quippe per unum, duos, pluresve dies, præſens, tandem terminatur maculis rubris, ſubitò amplis, tum in omni quidem corporis parte, tum maximè in facie. Quandoque ab alterutrâ aure inchoant, doloremque ac ruborem in viciniâ excitant, denſumque agmen minimarum puſtularum producunt, quæ aucto morbo in veſiculas attolluntur, ichore repletæ: ſerpit dein Eryſipelas, & reliquas occupat faciei partes; afficiens autem palpebras, eas ita tumefacit, ut oculi ægrè aperiri queant: per ipſam capillatam capitis cutem ſæpe pergit novo impetu, interea dum priore in loco jam remittit.

Eryſipelas Phlegmonodes Antiquitas vocavit, quando in tumorem inflammatorium partes attolleret; *Phlegmonen* verò *Eryſipelatoden*, ſi cum inſigni cutis rubore ac calore tumorem vix haberet.

Casus dantur ubi eruptione factâ febris acuta manet, ac sanguinem exhibet verè pleuriticum. Imò introvertitur nonnunquam materies, letalem phrenitidem, alioſve summè periculoſos morbos, producens. Eo in casu summâ antiphlogisticâ curâ opus. contingitque non rarò, ut sicca, terrea, plumbea remedia, extrinsecùs adhibita, bullulas crispent indurentque; ita ut materies transpirare nequeuns, morâ acris fiat, subjectasque partes carneas tum erodat, tum in gangrenam vertat. Ubi ergo violentum adeò erysipelas est, ut malignitatis hujus metus adesse possit, ab his siccis est abstinendum, & calida fomenta lactis, lactis ebutyrati, serì lactis, cum floribus sambuci cocti, diu noctuque adhibenda sunt, interea dum venæ sectio & reliqua cura antiphlogistica exactè instituantur.

Est & Erysipelatis species, *Sydenhamo* descripta Sect. 6. Cap. 6. quæ sæpiùs retrocedit, antequam planè cessaverit morbus. Citra ullam notam causam subitò introvertitur, ingentesque post se relinquit anxietates. Elapsis aliquot horis rediens erysipelas mox quamlibet anxietatem fugat; itumque ac reditum hunc eodem in morbo crebriùs

repetit. Eryſipelas etiam in hâc ſpecie nonnunquam in veſiculas attollitur.

Sponte liquet, quid vocetur eryſipelas bullatum. Tumores ingentes format ichore, aut fero acri turgidos; quibus non crepantibus partes ſubjectæ fœdè exulcerantur, erodunturque. Hinc cutis tenſæ perſpirabilitas eſt promovenda, eaque non ſuccedente, punctură adjuvanda eſt.

§. II.

De Febre Scarlatina.

Scarlatina febris à *Sydenhamo*, ſect. 6. c. 2. deſcribitur. Poſt febrim non vehementem » Cutis univerſa maculis » parvis, rubris, interſtinguitur, cre- » brioribus certè & multò latioribus, » magiſque rubentibus, at non perinde » uniformibus, ac ſunt illæ, quæ mor- » billos conſtituant. Ad duos treſve » dies perſiſtunt hæ maculæ, quibus » demum evaneſcentibus, decedenteque » ſubjectâ cuticulâ, reſtant furfuraceæ » quædam ſquammulæ, adinſtar farinæ » corpori inſperſæ, quæ ad ſecundam » aut tertiam vicem ſe promunt, con- » duntque viciſſim.

Hanc benignam febrem Scarlatinam *Sydenham* diluente ac modicè refrigerante methodo, ſine moleſtiâ, aut periculo, tam facilè curabat, ut nomine potiùs, quàm re ipſâ, morbum cenſeat appellandum.

Eodem modo Scarlatinam *Romæ* crebram *Proſper Martianus* ante 140. abhinc annos deſcripſit, quam *Roſſaliam Romanum* Vulgus adpellare dicit. Vidit certè eam æquè benignam, quàm *Sydenham*. Ait enim Commm. in Epid. *Hipp.* Lib. 2. Sect. 3. ℣. 20 » At expe» rientia docet nullum fere ex Roſſa» liâ interire, & niſi miraculo quo» dam, & ob errata maxima, quæ aut » ægri committant, aut Medici; potiſ» ſimùm verò ſanguinem mittentes.

Incautis, aut inexpertis, hæc benigna ſcarlatina febris imponere poteſt, falſòque benigna petechialis iiſdem dici, quâcum ſanè multa ſimilia habet; differre tamen admodum binos hoſce inter ſeſe morbos, poſtea liquebit.

Jam ipſam hanc adeò benignam Scarlatinam Febrim, nunquam periculoſam, ſolâ præpoſterâ agendi methodo letalem reddi, quis Mortalium crederet? Attamen vidit id, luxitque, *Sydenham*. » Cum è contrario, inquit, ſi plus

» negotii ægris faceſſamus vel lectulis
» continenter incarcerando, vel cardia-
» cis, aliiſque remediis ſupervacaneis,
» nimis doctè, &, ut vulgo dicitur,
» ſecundùm artem, ſupra modum in-
» geſtis, morbus ſtatim intenditur, &
» æger *non rarò*, nulla aliâ de cauſâ,
» quàm nimiâ Medici diligentiâ, *ad*
» *plures migrat.*

Porrò ſi id in tam levi morbo fit, nonne veridicum fatebimur *Sydenhamum*, aſſeverantem, ut mox latiùs patebit, Malignitatis inventionem, ipſâ pulveris Pyrii inventione letaliorem eſſe generi humano? ſi morbus, à quo naturaliter nemo mortalium unquam perit, Malignitatis obtentu letalis fiat, quid in Petechiis, in Variolis, in Morbillis, per ſe paſſim periculoſis, eo non fiet obtentu?

Eſt tamen præter hanc *Sydenhami* Scarlatinam alia, quæ naturâ ſuâ etiam verè maligna dici queat, variis in Europæ plagis obſervata. Scribit *Chr. Joan. Langius* annis 1695. & 1697. Scarlatinam ſatis malignam in *Saxonia* ſe obſervaſſe. *Morton*, qui & cum *Sydenhamo*, & poſt eundem, in *Angliâ* vixit, Tract. de Febr. cap. 5. putat Scarlatinam à Morbillis non differre, niſi

æqualiore rubedine, cæterum eumdem cum Morbillis morbum esse, ejusdemque sæpe malignitatis, ut dein exemplis probat. Etiam eruditus *Nerucci*, Medicus *Florentinus*, in Discursu suo *Italico* super inoculatione Variolarum, malignæ admodum Scarlatinæ meminit, aliquot abhinc annis in *Hetruriâ* grassatæ Anno autem 1748. & 1749. pessima Scarlatina, maximè maligna *Hagæ Batavor.* fuit, cum validâ Anginâ inchoans, plurimosque infantes, tum & bene multos juvenes, atque adultos occidens; imò fauces, carnesque buccarum, in ulcera maligna, ossa maxillarum in cariem pessimam convertens, similiaque etiam producens in cruribus. Nonnunquam Parotis, non juvans, sed indurescens, aderat.

Tandem advertimus Scarlatinam, licet infantum duntaxat morbus soleat haberi, nihilominus etiam Adultos quandoque adfligere, imò dum valde Epidemica est, Adultos æquè adoriri, quàm infantes. Id in *Belgio* erat quotidianæ observationis. Idem innuens *Sydenham* » Integras familias, ait, infantes verò » præ cæteris, infestat ». Hinc antea jam monui, prudentiâ opus esse inexpertioribus, ne pro benignioribus Pe-

techiis eandem ſalutent. In Benignâ *Sydenhami* ſpecie, cura *Sydenhami* omnem abſolvit paginam : in malignâ Epidemicâ Curâ antiphlogiſticâ ab ipſo initio ſummâ opus eſt.

§. III.

De Febre Petechiali.

Petitchæ, *Petechiæ*, ex *Italico* idiomate, corruptâ appellatione latinâ, Maculas peculiaris generis in putridâ febre deſignant. Febris Petechialis ea olim dicebatur, quæ *Lenticularis* audiebat *Frucaſtorio*, & tempore *P. Foreſti* frequens hoc nomine occurrebat : unde etiam maculæ hæ ob rotunditatem *germanicè*, ac *belgicè*, *Pfefferkorn*, *Peperkorn*, vocabantur. Apud *Diemerbroeckium* frequens quoque ejus mentio eſt. Quippe tempore febris peſtilentialis petechiales febres potiſſimùm obſervabantur, & ejuſdem veluti ſpecies creditæ, vim hominum ingentem ſternebant. Obtinent autem tempore minimè peſtilentiali in *Germaniâ*. *Auſtria* noſtra, *Hungaria*, ac Vicinæ Regiones, his infames ſunt. Nec datur annus, quin iiſdem plurimi laborent,

multique pereant. Noſtrates Medici eruptionem petechialem ſtatuunt criticum Naturæ molimen eſſe, adeòque haud minus promovendam, quàm eam variolarum, morbillorumque. Hanc futuram criſin prævident à ſignis malignitatis in febribus; ad quæ conſpecta, mox calidam admodum athmoſphæram ægris conciliant, calida Alexipharmaca & Bezoardica porrigunt, & intra lecti cortinas, ſtragulaque, artificioſè ſepeliunt. Moris quondam erat, ut ad primam ſuſpicionem malignitatis *Fratres Miſericordiæ* advocarentur, qui apta ſecum involucra afferrent, loris adducenda fibuliſque; quibus profectò ita includerent ægros, ut nec movere ſe illi, nec aëra externum ad ullam corporis poſſent admittere plagam. Obſolevit quidem mos ille, ſed citra illum nulla cura deeſt, ut immani calore ægri obruantur. Imò nec hîc ſollicitudinis meta. Quia enim refrigerium quod fortè ceterorum initio morborum ægri capiunt, in cauſâ eſſe poſſet, quo minùs venenum à corde foras pelleretur, invaluit prudentiſſima, ut ajunt, conſuetudo, omnes ægrotantes, mox à principio quorumcumque morborum, calidiſſimo, nec renovato, aëre includere,

quo virulenta materies, si *fortè* adesset, foràs trudi posset. Puerperas etiam, quòd lochiorum impuritate sæpè maligni quid contrahant, ad eamdem carnificinam Vulgus condemnat, condemnat & Medicus; congratulanturque sibi invicem de adhibitâ prudentia, si cutis demum efflorescat: citra hanc enim prudentiam actum de Puerperâ fuisse. Estque persuasio de hâc veluti Criticâ eruptione tam firma apud Medicos, ut, ægro in pejora labente, quiscumque demum morbus illum teneat, clamor, & ejulatus, & suspiria, undique exaudiantur, *utinam efflorescentias cerneremus!* Et vulgus, non Medicum, tam nobile, quàm ignobile omnem inde salutem unicè expectat.

Hoc adeò verum, ut celebrioris cujusdam Urbis Medici coram me testati fuerint, de præstantiâ, ac veritate eorum, quæ *Rat. Med. Part. I.* circa debitum ac salutare ægrorum regimen, verbo exemploque docuissem, persuasissimos sese, convictissimosque, esse; apud ipsos verò ita comparatum esse, ut Doctrina hæc in actum duci nunquam posset. *Malè quippe cum Medicis agi, quorum ægri nec petechiis, nec miliaribus saltem maculati, ad plures migrent:*

grent: illos verò Medicos Nobilibus Ignobilibuſque impenſe laudari, qui ægros nunquam niſi variegatâ admodùm cute morti tradant: quippe perſuaſis Medicos tunc ſaltem, quæ ſua eſſent, feciſſe; Naturam, quoad potuerint coëgiſſe: quòd verò illa in certamine ſuccubuerit, id eorum culpæ non tribuendum. Adeòque cum boni patrisfamilias eſſet fortunas tueri, uxoris amatæ, ac caræ prolis gerere curam, cumque id omne à vulgi exiſtimatione penderet, doctrinam meliorem admiraturos ſe quidem perpetuò forè, nunquam verò imitaturos. Rogati demum quid illi meliora edocti, pejora ſecuti, *ſupremo* demum *Judici* reſponſuri eſſent, oculos illi in terram defigere, humeros attollere, ſuſpirare, tacere, prætereaque nihil.

Hæc igitur cum ita ſe habeant, operæ pretium erit intueri primò quid Petechiæ ſint, quoque modo oriantur, ac pergant; & demum quid medicè de iis & cogitandum ſit, & concludendum.

Febris continua putrida hominem invadit, ſæpe cum valido capitis dolore, dolore artuum veluti rheumatico, anxietate præcordiorum, urinâ aliquando rubrâ, ſæpe verò ab eâ ſanorum vix abludente, & pulſu non rarò ſive ſuppreſſo, ſive

debiliore. Nonnunquam die 4. 7. 9. 11. 14. criticis proinde diebus, punctula rubra adparent, aut cinerea, aut purpurea, aut livida, aut nigra: sæpe verò indiscriminatim quovis morbi die, etiam minimè critico, erumpunt. Purpurea, aut livida, aliquando prodeunt, bonâ sanè fortunâ in rubra sensim abeuntia; alias etiam rubra in ortu, in purpurea ac livida sensim mutantur. Contingit quoque ut eant redeantque pluries; contingit ut justo maturiùs evanida, non redeant tamen. Grandescunt nonnullis maculæ, plagas imò formant oblongas, quæ, quod similes virgâ cæsis contingant, vibices adpellantur. Superveniunt etiam aliis exanthematibus febrilibus, viciſſimque & hæc illis internascuntur. Miliaribus enim, aut variolis, aut morbillis, aut scarlatinis, Petechiæ superveniunt; & vice versâ variolæ, morbilli, miliares, ad Petechias accedunt variolæ autem hæ vix elevant se, mortemque denuntiant propinquam. Pessimis in rebus versatur æger, cui maculæ sub cute profundiùs hærent; naturâ viribus easdem foràs pellendi deficiente. Loca quæ occupant, sunt collum, pectus, rariùs facies, venter, dorsum, latera, imò extremi omnes in

nonnullis artus. Dum plures invadunt, occidunt multos; ſive ſuâ vi propriâ tempore in acutis conſueto, ſive lentiorem ſphacelum, aut chronicos morbos demum letales inducendo.

Nec ſola macularum ſedes cuticula eſt *Pontius*, *Fernelius*, *Morellus* ſedem quoque in adipe & carnibus, imò in ipſo detexere periosteo. Hujus obſervati adeò certus erat *Diemerbroeckius*, ut negantem id Chirurgum ipſâ anatomicâ demonſtratione iteratâ in cadaveribus eorum, quos petechiæ ſuſtulerant, convicerit petechias a periosteo latâ baſi ortas ſenſim extenuari, & apice demum, pyramidali proinde figurâ, in cute terminari. Vid. *Diemerbr. Tract. de Peſt. Noviomag. Lib.* 4. *Hiſt.* 32. & latiùs *Lib.* 1. *cap.* 14.

Ratione harum macularum pluribus Autoribus *Purpura* morbus audit. Verùm cum videam Purpuræ nomen à Clariſſ. *Hofmanno* omnibuſque *Germanis* eruptioni miliari nunc unicè ſacrari, nolui cum Antiquioribus petechias hoc nomine adpellare, ne confuſio in arte fiat. Sufficiat monuiſſe purpuram olim morbum lenticularem, ſive petechialem vocatum fuiſſe; ne putent Tyrones,

Vetuſtos miliaria deſcripſiſſe, qui tamen de ſolis egere petechiis.

Petechiæ ita deſcriptæ, ſintne naturæ, an Artis, opus? Naturæ nimirum, criſin morbi molientis; an verò Artis, naturam præpoſterè ſubvertentis?

Reſpondeo criticas petechias dari, teſtantibus Autoribus graviſſimis, *Fracaſtorio*, *Foreſto*, *Diemerbroeckio*, *Sydenhamo* aliiſque penè innumeris. Verum enim verò ejuſmodi obſervari duntaxat, adventante, aut vigente febre peſtilentiali; aliis verò temporibus petechias haſce criticas eſſe longè rariores, ex iiſdem Autoribus concludere datur. Haud tamen id ita intellectum velim ad ſi tempore peſtilentiali Natura ſemper criſin petechialem immutabili lege moliretur, ſed potiùs eo adacta, & coacta, methodo calidâ, ac ſudatoriâ, ad peſtem curandam obſervari ſolitâ. Ita quidem, ut ſi methodus antiphlogiſtica *Botalli*, *Sydenhami* paucorumque aliorum, ad peſtim curandam, religioſè, & citra ullam conſuetæ in peſte methodi admiſtionem, adhiberetur, criſis petechialis rarò, opinor, contingeret.

Si hæc ita ſe habeant, quid jam de petechiis, tempore minimè peſtifero,

adeò creberrimis cenſeam, aut potiùs conſere debeam, ſponte liquet. Naturæ opus ſanè non eſt. *Quid* ergo eſt? *Somniatæ Malignitatis effectus.* Adplicemus igitur *Germaniæ*, quæ incomparabiliis *Sydenham* ſuo tempore *Angliæ* adplicuit ſub finem *Schedulæ Monitoriæ* » Cu-
» jus de *malignitate*, (ſive notionem, ſi-
» ve verbum dixeris,) opinionis inven-
» tio humano generi longè ipſâ pyrii
» pulveris inventione letalior fuit. Cum
» enim eæ febres præſertim *malignæ* di-
» cantur, in quibus intenſioris præ cæ-
» teris inflammationis gradus conſpici-
» tur, hinc Medici ſe ad uſum cardia-
» corum & alexipharmacorum neſcio
» quorum contulerunt; quo ſcilicet per
» cutis poros expellant quod ſomniant
» *venenum*, (hoc enim eſt dicendum,
» niſi malint verbis ludere, quàm illud
» quod poteſt intelligi ſeriò proponere,)
» ex quo factum eſt ut regimen calidiſ-
» ſimum, methodumque huic parem, iis
» morbis adaptaverint, quæ frigidiſſi-
» ma tum remedia, tum regimen præ
» cæteris ſibi poſtulabant. Quod qui-
» dem ſatis arguitur tum in variolarum,
» qui ex calidiſſimis in rerum naturâ af-
» fectibus eſt, tum in febrium alia-
» rum curatione. In quem errorem

» fortè inciderunt ex conſpectu *Petechia-*
» *rum* macularum purpurearum, & cæ-
» terorum id genus φαινομένων. Quæ ta-
» men omnia in pleriſque ſubjectis,
» inflammationi, ægri ſanguine jam diu
» plus ſatis à febre accenſo, ſuperin-
» ductæ, omnino debentur: *utpote quæ*
» *rarò ſponte ſuâ efflorescunt*, præterquàm
» ſub adventu peſtis ipſius, atque in
» initio invaſionis iſtarum variolarum
» confluentium, quæ ſummæ inflamma-
» tionis participes ſunt.

Atque hucuſque *Sydenhamus*. Sed calidioris regiminis patroni jactabunt mihi ſuas, quas perficiunt curas, integraſque curatorum ſeries: id quod nullatenus contingeret, ſi ipſorum methodus jure carperetur.

Quod in dias luminis auras plures ſanè, ipſis curantibus, redeant, facilis dabo. Sed ohe! vellentne igitur methodum tunc tantummodò condemnandam fore, quando occiderit univerſos? Utique ipſis autoribus bellum atrox tuta foret vitæ conſervandæ methodus quod illæſi plurimi, truncati non pauci, ex eo ſuperſtites redeant, vivantque annoſi: ſed iterum reſpondeat hic potiùs *Sydenhamus*: » Quod ſi quis hîc regerat:
» An non igitur de facto experimur

» hanc febrim methodo huic quam tra-
» dis, prorſum contrariâ perſæpe fu-
» gari?" . . . . . Reſpondet ille » In
» illâ, de quâ nunc agimus febre, ſi
» comperiar ægrum, quo magis calefit,
» eo magis non tantùm phreneſi, ma-
» culis purpureis, *Petechiis* &c. obno-
» xium eſſe, ſed & febrim inſuper ſymp-
» tomatis omnium generum irregulari-
» bus & anomalis exinde ſtipari: è
» contrario verò ſi alium ægrum eâ,
» quam jam proponimus methodo trac-
» tatum, ab his ſymptomatibus pror-
» ſùm liberum obſervaverim, ratio dic-
» tat proſteriorem hanc praxeos mo-
» dum longè alteri præſtare: tametſi
» uterque æger ita diverſimodè curati
» ad ſanitatem revertantur. Quod ſi
» ſi plures hâc viâ, quàm aliâ iſtâ, mor-
» tem effugiant, eo faciliùs ſolvitur
» controverſiæ nodus ».

Multa de Petechiis dicenda ſuper-ſunt; maximè de iiſdem tum prævenien-dis, antequam fiant; tum, cum adſint, curandis. Verùm cum hæc quoque ad miliarem eruptionem pertineant ipſaque miliarium hiſtoria eam petechiarum elu-cidet, atque explanet, unâ fideliâ hunc utrumque parietem dealbabo. Sit itaque.

§. IV.

De Febre Miliari.

Eſt febris continua putrida, cum anxietate præcordiorum, laſſitudine, debilitate, non rarò cum catarrho quodam juncta, cum urinâ & pulſu ſæpè non multùm à conditione ſanâ abludentibus, nonnunquam cum rheumatico artuum dolore vel & dolore faucium. Cujus febris die 4. 7. 9. 11. 14. imò paſſim die quocumque non critico, poſt perceptum non rarò vappeſcentis veluti aceti vaporis fœtorem, oriuntur ſtigmata rubra, ſeu maculæ potiùs, quæ mox in perfecta hemiſphæria pellucida elevantur, colore albæ aut rubræ; quarum hæ minùs periculoſæ illis habentur. Mole minuuntur ad diem ſuæ eruptionis 4. 5. 6. 7., exſiccantur, & in ſquammas ut plurimum fatiſcunt. Debiles admodum ſunt ægri, & ad minimam auram frigidam perceptam pernicioſè habent. Imò plures, dum ad neceſſaria erigere corpus geſtiunt, animo linquuntur. Quando epidemia maligna adeſt, junguntur ipſi petechiæ, dolores lateris, aliave peſſima ſymptomata;

eoque ipso tempore epidemico tam multos occidit, ut exemplis constiterit vix centesimum servari; utque illis, quos mors non abripuerit, dira symptomata in pectore, ventre, encephalo, oculis, ossibus & junctûris oriantur, quæ sive diuturnos, perennesve morbos, sive mutilationes generent. Obsservatumque fuit eosdem homines eodem hoc morbo pluries in vitâ aliquando affligi; imò eosdem homines, in eâdem epidemiâ, præsertimque Medicos his ægris inservientes, eumdem hunc morbum bis pati.

De morbi antiquitate disputatur: aliis ad *Hippocratis* notitiem eumdem referentibus; aliis vero ejus epocham ad medium elapsum sæculum XVII. figentibus.

Antiquitatem *Hippocraticam* redolere morbum, priores sequentibus adstruunt argumentis.

1. Epid. 2. sect. 3. pag. apud *Foës.* 1020. ait *Hipp.* » In febribus autem » æstivis circa 7. 8. 9. diem aspredines » quædam miliares, κεγχρώδεα, enascebantur, culicum morsibus ferè similes, » quæ tamen non admodum pruriebant, » in summâ cute subnascebantur, & » ad judicationem usque perdurabant, » ac ne eæ quidem masculorum ulli

» erumpebant: mulier verò, cui talia » fierent, nulla mortua eſt.

2. Coac. præn. n°. 243. » Quibus » ſalſa ſputa cum tuſſi ſubſiſtunt, iis cor- » pus velut efflorescentibus puſtulis ru- » beſcit, ante obitum verò exaſperatur.

3. Coac. n°. 443. » Puſtularum erup- » tiones, veluti ſummâ cute leniter la- » ceratâ, aut vellicatâ, totius habitus » phthiſin denuntiant.

4. *Hipp.* ibidem: » Quibus in febre » continuâ puſtulæ toto in corpore ex- » citantur, letale; niſi ſuperveniat apoſ- » tema: atque his circa aures maximè » fieri conſuevit.

5. Epid. 1. ægr. 2. pag 969. 970. » *Sileno*, octavo ſudor frigidus per om- » nia membra diffuſus eſt, cum puſtulis » rubentibus, rotundis, parvis, varis » non abſimilibus, οἷον ἰονθοι, quæ per- » manebant, neque abſceſſum facie- » bant . . . . undecimo obiit.

Vari, ἰονθοι, *Galeno*, *Aëtio*, *Foëſio*, *Gorræo*, ſunt tumores parvi & duri, craſſo ſucco prognati, nullius ſeroſæ tenuitatis participes; ideòque, cum non pruriant, ad ſcalpendum haud invitantes.

An nunc ulla horum in *Sileno* varorum cum miliaribus ſimilitudo? Cre-

diderim ſanè haud majorem, quàm cum variolis; quas magnus alioqui *Duretus Sileno* adfuiſſe in Coacis p. 369. ſcribit: id quod etiam contra optimum *Werlhoſium* Clariſſ. *Vratiſlavienſis* Medicus *Hahn* ſtatuere conatus eſt.

Proſper Martianus negat variolas ullis *Hipp.* textibus innui; id quod ſuo jam tempore quibuſdam viſum erat; ſed ſimul ſtatuit contra alios non ſemper planas petechias ab *Hippocrate* indicari. Et ſanè fatendum eſt de maculis nullo modo extantibus, textus hos omnes intelligi non poſſe. Sed ideone ſunt papulæ miliares? *Proſper Martianus* miliares minimè cognoviſſe videtur, cum alioqui, dubius hîc fluctuans, conjecturando ſaltem, ut miliares cognoſcentes faciunt, harum meminiſſet.

Hollerius ad text. Coac. 243. Scabiei cujuſdam ſuſpicionem format, pag. 1109. comm. in Coac. Idemque illuſtris *Hippocratis* Commentator ad Textum *n.* 4. *citatum* phlyctænas intelligendas eſſe credit, vel petechialem, purpuram, cujus letalitatem auferret ſuppurans Parotis.

Jacotius hunc ipſum textum de quibuſdam quidem puſtulis intelligit, minimè verò de miliaribus; nullam enim harum aut conjecturam injicit, vel men-

tionem : imò potiùs contrarium quid fuiſſe cenſuit, cum hæ puſtulæ letum inferrent, niſi Natura, parotide ſuppurante, ſe liberaret. Alias vel cum *Galeno*, & *Hollerio*, phlyctænas intelligit, quæ unicâ duntaxat corporis in parte prodire conſueverunt, vel cum *Celſo* aliud quidpiam genus exulcerantium puſtularum. Adde quod plures horum autorum ipſi dubitarint an ἐξανθημάτων vox ſæpe non deſignaret quaſdam tantum maculas.

Proſper Alpinus, qui 160 abhinc annis ſuum immortale *de præſagiendo* opus edidit, hos laudatos *Hipp.* textus crebrò tangens, vel iiſdem petechias modo deſignari credidit, vel aliquod ſuppurantium genus puſtularum: ſemel tamen *Proſper* teſtatur Miliares ſe vidiſſe non maculas, ſed veras papulas, eaſque dixit *aliquando Criticas*. Sed an intellexerit *Noſtras*? Haud putaverim: tum quòd unico in dorſo tantum modo eas viderit, tum quòd ut pellucidas non deſcripſerit. Si tamen quis id aſſeveret, haud repugno. Dato autem hoc, facilè textus unus alterve invenietur quibus cognitio Miliarium longè antiquior uno ſeculo evinceretur. Quod equidem per me licet, qui ſimili quid ex *Riverio* jam

innuerim, idque modò in animo habuerim demonſtrare, quod ante 110. annos rariſſima, poſt annum verò 1680. frequentiſſima eorum mentio fuerit facta.

Ballonius, eximius ille Hippocraticus Medicus, qui 200. *abhinc annis, florere incipiens, integro fere dimidio ſæculo claruit, Medicinamque tam egregiè excoluit, ornavit, locupletavitque*, omnes cutaneos morbos Antiquis deſcriptos, ſive febris expertes eſſent ſive eamdem comitem haberint, curatiſſimè rimatus eſt. Meretur legi. *Lib.* 2. *Cons. Med. Hiſt.* 5. Longè autem latèque ſuper cunctis his differens, miliarium noſtrorum exiſtentiam prorſùm ignoraſſe videtur, nomine quamvis *πέγχρωδέων*, ut *Hippocrates*, uſus; idque duntaxat, ut efflorescentias non eminentes, ſed parvas atque rotundulas, eaſdemque planas deſignaret. Miliaris puſtulæ meminit quidem, ſed ſine morbo.

Ludovicus Mercatus aliâ ratione Antiquos non intellexit, quàm recenſiti Commentatores; id quod ex ejuſdem màgno *De febribus* opere conſpicuum eſt.

Annis abhinc 150. miliarium noſtrorum nulla apud *Germanos* notitia

fuit, ita ut eorum nemo hanc eruptionem *Hippocraticis* viderit in textibus. Utique neceſſariò ejuſdem meminiſſe *Sennertus* debuiſſet, dum febres petechiales, febrimque *Hungaricam* dictam, tam curatè examinaret, efflorescentiarumque naturas rimaretur.

Clariſſ. Vir. *Paulus de Sorbait*, digniſſimus meus in hâc Cathedrâ anteceſſor, in vaſto ſuo Praxeos opere *in Fol.* miliaris eruptionis ne meminit quidem; ut certe ante 90. annos hic morbus *Auſtriacos* penitùs latuerit.

Epocham ejus Cl. *Hoffmannus* nobis determinare conatus eſt *Tom.* 4. *Med. Rat. Syſt. part.* 5. *cap.* 3. quam quintam partem anno 1739. ut videtur, edidit. Epocham hanc figit ad introductum in *Germaniam* uſum potuum *Aſiaticorum*, adeòque ad ſua ipſius tempora. Imo abuſui horum potuum, ut cauſæ, morbum adſcripſit.

Cum tanti nominis veneratione dubitare mihi de hâc origine liceat: nam nec *Aſiaticorum* hoc potu totâ die utentium morbus eſt; nec etiam eſt morbus *Batavorum*, apud quos longè antea hic invaluerat abuſus.

At hîc fortè oggeret mihi quiſquam *Ill. L. B. van Swieten* in aphthas com-

mentariis id insinuari, quòd apud *Batavos* aphthæ idem sint quod apud *Germanos* Miliares; adeòque posse illas eamdem habuisse cum illis originem.

Respondeo *Ill. Virum* id sententiæ loco non pronuntiasse, sed proposuisse meri instar problematis; ita ut mox subjunxerit: » Omnia tamen hæc dubii instar » propono, ut illi, quibus & aphthas, & » miliaria exanthemata, frequenter vide- » re contigit, judicent, in quantum » conveniant binæ illæ separationes mor- » bosæ materiæ, ad diversa corporis lo- » ca depositæ. Dissimulandum enim non » est alia quædam symptomata præce- » dere, & comitari miliarium eruptio- » nem, quæ in aphthis non observantur.

Quod ergo ab *Ill. Commentatore* problematicè tantùm propositum fuit, id minimè infirmare ea potest, quæ mox adversùs *Hofmanni* sententiam adtulerim. Relinquam interea ad tempus hoc ipsum problema, eodem postmodum ad majora probanda usurus.

Sed quid si Cl. *Hofmannus* hanc suam de pótibus *Asiaticis*, ut miliarium causâ, opinionem, ipse infirmaverit? Id autem est evidentissimum. Ubi enim *Tom.* 4. *Part.* 1. quam anno 1729. edidit, de Febre purpuratâ; id est de

Miliaribus, ab abuſu hoc oriundis, diſſeruerat; ubi ad Medicos *Francofurtenſes ad Moenam* idem ſcripſerat; ubi denique *Tom.* 4. *Part.* 5. de Purpurâ agens, cauſam ſtabiliverat eamdem; cogitur tamen ultimo in opere fateri, longè antequam ille abuſus *Germanos* invaſerat, miliarem febrim immaniter in *Lipſienſes* ſæviiſſe, eandemque ob cauſam *Lipſienſem morbum*, ſeu *febrim*, dictam fuiſſe. Quæ magni viri confeſſio nos adigit, ut aliam longè morbi cauſam, aliam omninò ejuſdem epocham inquiramus.

Cl. Welſchius, & *Chriſt. Langius* morbum natum ſtatuunt anno 1652. idque *Lipſiæ*. Clariſſ. *Trumphius* in peculiari de miliaribus diſſertatione innuit *Polonos* morbum in *Lipſiam* intuliſſe, hoſque iterum *Ruſſorum* commercio affectos fuiſſe eodem. Sed cum de his ultimis ſuſpicionibus nihil certi habetur, plerique omnes ſcriptores epocham ad annum 1652. *Lipſiæ* ponunt, unde dein ſenſim *Germaniam* totam, *Hungariam*, *Styriam*, aliaſque invaſit Regiones.

Dubitare tamen licebit an *Gallia* prior non viderit *Saxoniâ* morbum? *Riverius* Lib. 17. cap. 1. agnoſcit triplex genus efflorescentiarum in febribus

malignis, quas omnes ad peſtilentiales referendas cenſet. 1°. petechias vibiceſque. 2°. Puſtulas parvas extantes & ſuppurantes. 3°. Parvas puſtulas granis milii ſimillimas, albas & rubras, interdum & flavas, lividas, nigraſve; quæ ſimpliciter exſiccarentur. Porrò autor hic ſcripſit illum 17. ſuum Librum brevi poſt Cometam anni 1618. à quo peſtilentialem præſentem, de quo ſcribit morbum cruentaque bella deduxit. Ergo videntur miliares ſaltem 30. annis, antequam *Lipſiæ* comparuerunt, *Gallis* innotuiſſe.

Quidquid verò de hiſce ſit, conſtanter id verum manet, quod in *Germaniâ*, & potiore *Europæ* parte, morbus, poſt illam *Lipſienſem* originem, ſenſim modò innotuerit, & veluti per gradus variis obſervatus animadverſuſque Medicis fuerit. Quod enim principio monui, repeto: purpuram quidem anteriore tempore à multis deſcribi, ſed petechialem, minimè miliarem: poſthac verò miliaribus undique probè notis purpuræ nomen & inditum fuiſſe, & perpetuò manſiſſe.

Longè poſt *Welſchii* diſſertationem *Poſonienſis* Medicus *Reyger* primas miliares *Poſonii* vidit, quo quidem anno

notatum non invenio, ſed cum *Bonetus* ejus diſſertationem in *Med. Sept. 2. Lib. 5. pag.* 206. *& ſeqq.* habet, quod egregium opus anno 1686. editum fuit, videmus morbum hunc jam ultra 80. abhinc annos *Hungaris* innotuiſſe. Notavit eruditus vir dum miliares puſtulas primas videbat, ſe ab adſtantibus inaudiiſſe, quod unus alterve iiſdem jam affectus ibidem fuiſſet.

Eruditus *Grunwald* Diſſ. *de Novâ febre dictâ Miliari*, cenſet eam anno 1666. in *Bavariâ* primùm adparuiſſe; *Penninis* verò *Bavariæ Alpibus* anno demum 1733. & 1734.

Regnum *Schotiæ* morbum ſat maturè cognoviſſe videtur. *Robertus Sibbald*, in ſuâ *Scotiâ illuſtrata*, editâ *Edimb.* anno 1684. deſcribit inter *Scoticos* morbos ſpeciem ſcarlatinæ, quæ purpuram noſtram ad unguem referre videtur.

Anglia circa idem tempus morbum obſervaſſe videtur. *Sydenham* in fine operum ſuorum, nempe in *Schedulâ Monitoriâ* de novo febris 1685. ingreſſu, cepit primùm miliarium meminiſſe, quæ in illâ febre novâ intempeſtivo Cardiacorum uſu extorquerentur: alibi hâc occaſione non niſi de petechiis locutus. Sed Doctus *David Hamilton*, *Hofman-*

no laudatus, exeunte proximè elapso sæculo, ineunteque præsenti miliares *Anglis* familiares fuisse, peculiari Dissertatione evicit.

Itali morbum dudum ignorasse videntur. *Ramazzinus*, qui ad annum 1714. scriptis circa epidemica clarus, vixit; optimus *Tortus*, qui in epidemicis describundis solertissimus, usque ad 1741. vitam duxit, nullam nostræ purpuræ fecere mentionem. Jam verò & nota ibidem est.

Atque hæc de historiâ morbi sufficerint. Quæstio nunc gravis examinanda est, utrum nimirum numerandus inter morbos illos sit, qui ad cutim materiem morbosam criticè determinent, determinandoque corpus sanitati reddant; an verò tota hæc pustularum genesis merè sit symptomatica, aut potiùs accidentalis?

Delicatior ac sanè ponderosior quæstio, eos consulere jubet, qui ex professo, quod ajunt, de hâc materie scripserint; inque iisdem id potiùs, quod experiundo, quàm quod ratiocinando protulerint, examinare.

Egregius *Hoffmannus* experimento *Lipsiensi* coactus alias hujus morbi causas admittere, quam *Asiaticorum* po-

tuum abuſum, hanc demum *Lipſienſibus* cauſam adfuiſſe, præter alias, invenit » Peſſima, ait, conſuetudine, recep- » tum tunc erat, ut puerperas non ſo- » lum arctiùs lecto adſtringerent, ſed » etiam conclavibus calidis macerarent; » primiſque puerperii diebus juſcula, » & potum, non niſi fervida, iis exhi- » berent. Neque tamen alvum per mul- » tos dies adſtrictam, clyſtere vel la- » xante ſolvere, neque etiam lochiis » ſubſiſtentibus ſanguinem evocare au- » derent .... Id quod experientia etiam » poſtmodum luculenter confirmavit. » Poſteaquam enim nocumenta dedere » documenta, & *abrogato æſtuoſo Puer-* » *perarum regimine*, laxantia, & V. S. » admittunt, *longè minor ibi eſt hujus* » *Exanthematis proventus, minus ejus* » *periculum, minorque inter puerperas* » *ſtrages.* »

In Vol. 2. act. ph. Med. N. C. Obſ. 146. doctiſſimus *Fuchſius* Medicus *Gothenſis*, longam habet de purpurâ miliari diſſertationem, integra quæ legi meretur. Juvabit meminiſſe exordii. » Communis, inquit, & multorum » Medicorum ſententia, & Obſtetri- » cum opinio, quòd ſingulæ puerperæ » purpuram perpeti, neſcio quo fato ac

» lege, quaſi deſtinatæ ſint, per ali-
» quot annos in totâ fere *Thuringiâ*
» hactenus invaleſcere cœpit. Hinc
» mox poſt partum, ad hanc ex voto
» expellendam, cor ab illâ præſer-
» vandum, atque debilitatam puer-
» peram, & in partu viribus exhau-
» ſtam, refocillandam partim bezoar-
» dicis, cardiacis, ſudoriferis pellen-
» tibus, partim analepticis, diæte-
» ticis, aromaticis, vinoſis, puerpe-
» ram quaſi obruere, & tegumentis ca-
» lidis quaſi ſuffocare, ſolent. Huic
» quoque opinioni malam illam vetu-
» larum conſuetudinem, quâ omnibus
» puerperis, ſi puerperium felicem ad
» finem perducere velint, bis aut ter,
» per aliquot horas, largiſſimè ſudare,
» lege quaſi quâdam ſancitum eſt, ſuam
» debere originem credo. Quo quidem
» obtinetur, ut hocce regimine *in puer-*
» *peris robuſtis, non adeò ſenſibilibus*, &
» concurrente aliquali humorum dyſcra-
» ſiâ, aut cacochymiâ, hinc inde puſtu-
» læ, purpuræ ſimiles, interdum cum
» euphoriâ expellantur, & concomitan-
» te de reliquo legitimo regimine ac
» diæta, bene cedant: tantum vero
» abeſt, ut ſingulæ hoc impune, & cum
» eodem ſalutari utantur effectu, &

» eventu, *ut potiùs ſenſibiliores, com-*
» *motionibus & orgaſmo ſanguinis obno-*
» *xiæ, graviora inde percipiant ſympto-*
» *mata.* «

Pergit deinde Autor lochiorum ſuppreſſiones, uteri inflammationes, ſuppurationeſque, & gangrænam, hinc ortas deſcribere; idque eo magis, quòd in tam calido regimine impoſſibile ſit puerperam ita ab omni aeris afflatu præſervare, ut idem quamdam corporis partem perſæpe non afficiat. Subjungit tunc exempla plura calamitoſa hujus deteſtandæ praxeos.

Exp. *Trumphius* in ſuis Obſ. de purpurâ anni 1737 & 1738. *Goſlariæ*, ejuſque in confiniis graſſatâ, §. 14. » Ratione aeris externi, inquit, ad ca-
» lorem in primis reſpiciendum erat,
» qui, quo magis immoderatus fuit, eo
» magis quoque nocuit. Certum enim
» eſt ſudorem nimium, ut plurimum,
» in exanthematicis febribus pernicio-
» ſum eſſe, caloremque externum an-
» xietates nimias excitare; confirman-
» tibus id etiam noſtris ægris: utpote in
» quibus ſub his circumſtantiis, quidem
» ex voto, uti adſtantes reputabant,
» minimè tamen cùm euphoriâ, purpu-

» ra efflorescebat : manifesto documen-
» to, quòd regimen nimis calidum plus
» obsit, quàm prosit. Interim tamen in
» hunc usque diem quibusdam adhuc in
» more positum est, ut vel sub metu,
» vel actuali eruptione purpuræ, Hy-
» pocausta vehementer calefaciant, eum
» in finem, ut hac ratione, & subjun-
» ctis insimul Bezoardicis calidis, fa-
» cilius expellatur miasma peregrinum
» & noxium. *Robustiorum aliqui citra no-*
» *xam quidem sustinuere tale regimen,*
» *maxima autem pars aliorum, eidem*
» *expositorum, fatis cessit.* Nec tamen
» propterea mos hic penitus abrogari
» potuit; nimis enim altè insidet ho-
» minum animis opinio à Majoribus,
» (non quidem seculi prioris) hausta,
» tegi nempe debere corpus undequa-
» que, quo malignitas eliciatur....
» Certum igitur manet quòd temperatus
» aer purpurâ laborantibus optimè con-
» veniat. «

Ast verò, mihi objiciet fortè quis-quam hoc : laudati textus dicunt quidem regimine calido purpuram & pejorem reddi, & frequentiorem, sed purpuram naturaliter ortam non negant criticam esse ; adeòque ad propositam quæstionem nihil hucusque responsum

eſt. Et quod plus eſt, eâdem illâ Diſſertatione ultimò laudata *Trumphius* diſertis verbis hanc notabilem ſententiam ſubjunxit : » Exanthemata in nonnullis » proruperunt ſine regimine calido, aut » adhibitis ullis remediis. Ex quo pa» lam fit *non excitatam fuiſſe* calidioribus » remediis purpuram, ſed materiem » illius antea jam maſſâ ſanguineâ la» titaſſe. «

Appoſitè ſanè ille, & ad rem : ſed advertat modò id mihi in præſentiarum ſufficere, ut demonſtrem miliaria exanthemata & frequentiora, & pejora, communi tum Medentium, tum vulgi methodo reddi ; id verò quod in quæſtione necdum ſolutum fuerit, id aliis me poſtmodum ſoluturum argumentis.

Ut igitur adhuc pauxillulum dictis immorer, miliares puſtulæ regimine deſcripto longè plures occiderunt, quàm quæ dicuntur aliunde ortæ : deinde, fatentibus id laudatis autoribus, prodiere hoc regimine, *ubi aliàs non prodiiſſent.*

Igitur ex conceſſis, datur ars fatalis peſtiferum hunc morbum generandi, iis in corporibus, in quibus produci nullatenus debuiſſent, adeòque in quibus ſine hâc arte nequaquam prodiiſſent.

Provoco

Provoco ad ipsa citatorum Autorum verba.

Horrenda utique res est! eam tamen non miramur considerantes quomodo ex *Statice Vegetabilium & Animalium* Reverendi *Hales*, & ex Eruditi *Keilii Medicina Statica Britannica*, constet evidentissimè, athmosphæram exhalationibus Vegetabilium, Animaliumque repleri: deinde corpora humana imbibere tum humiditatem aëris, tum etiam detenta in aëre effluvia. Hominem nunc considéremus putrida vomentem, putrida sudantem, mingentem, alvoque egerentem: clauso interim conclavi, minimèque mutatâ athmosphærâ. Nonne *Keilius* demonstravit juvenem sanum, sed jejunio ac labore confectum, spatio unius noctis 18. uncias poris imbibisse suis? Hydropicorum utique exempla nos docuere paucos intra dies ultra 100. libras hominum imbibi poris. Quid jam cogitandum ubi bibula ægrorum vasa de athmosphærâ putridâ incredibilem copiam putidi, corrupti, alcalini volatilis, continuò ad sanguinem, ad lympham, ad spiritus, advehant commisceantque? Imò considéremus ipsum duntaxat haud renovatum aëra! Nonne *Sendivogii*, *Boerhaavii*, *Gravesande*, *Muss-*

chenbroeckii, nonne omnium Physicorum experimentis evictum est, in aëre non renovato perire pabulum vitæ, & in eodem animalia citò debilitari morique ? *Digitone ipso causam tangimus ob quam innumeri ægri ab ipso morbi principio insignem illam debilitatem conquerantur, quæ Malignitati falsò adscribitur ?* Est, si velis, *Malignitas*, sed talis, quam non morbus, non natura, sed ars produxit; abfutura prorsus, si ars defuisset producendi.

Quàm sapiebant præ nobis Antiqui! Videte apud *Cælium Aurelianum* Methodicos calidis in morbis in id præcipuè intentos, ut Cubiculum & amplum, & aëre bene perflatum & subfrigidum esset. Quid de *Celso* dicant Nostri, Libr. 3. cap. 7. in Curâ febris Ardentis monente. » Etiam amplo Conclavi tenendus, » quo multum & purum aërem trahere » possit, neque multis vestimentis stran» gulandus, sed admodum levibus tan» tùm velandus est. «

Facilè ergo comprehendimus exanthemata milliaria, quo tempore grassabantur, & pejora fuisse, & multos, qui cæterùm immunes fuissent, invasisse. Comprehendimus etiam cur tunc

contagione afficiantur Neceſſarii, Cuſtodes;. cur quoque morbus fiat non rarò ἐπιδημικώτατος. Sed ultra pergendum eſt.

Vidit ſenex *Sydenhamus* miliaria in *Anglia*, ut vidimus, ſub finem ſcedulæ monitoriæ. Si ipſum interrogem num ea critica, ac ſalutaria, non exiſtimet? reſpondet ſolito ſuo candore: » Licet » miliares eruptiones *ſponte ſua nonnun-* » *quam* ingruant, *ſæpius tamen* lecti ca- » lore, & cardiacis; extorquentur . . . » tandem verò cum ex re male geſtâ ſpi- » ritus in confuſionem omnimodam adi- » gantur, pulſus inordinatus cum ſub- » ſultu membrorum ſubingreditur, quam » non ita diù poſt mors excipit ».

Vidit, deſcripſit miliaria doctiſſimus *Porchon*, Tractatu de Purpurâ, Variolis, Morbilis, editio *Pariſ.* anno 1688. Rogatus num ea critica, ſaltem nonnunquam, non cenſeat? negat omninò, & citra ullam exceptionem.

Propria mea obſervata recolligens, miliaria in Noſocomio vidi, vidi in urbe. Dum ea in urbe vidi cum Magnifico Archiatro *Keſtler*, cum expertiſſimo Medico *Erndl*, cum erudito Medico *Guarin* juniore; dum in noſocomio eadem caſu habui, ſemper vel ego

ſolus, vel mecum clari, quos laudavi, Medici, ita hos ægros tranctantes, ac ſi miliaria nullam attentionem mererentur, nihilque ad criſin referrent, ſemper citi, ſemper integri, extitimus morbi victores.

Contigerat anno 1756. ut Homo peripneumonicus ſexto morbi die infortunio quopiam incideret in miliaria alba, cui mox rubra ſeſe interponerent. Prælegebam tunc Auditoribus hiſtoriam *Sydenhami* ſect. 3. cap 3. qui deſcribens dictam ipſi Varioloſam febrim, arguenſque Medicos qui diaphoreſin exſuſcitando, & promovendo, hanc febrim curare anniſi, morbum non curarent, ſed malignas potiùs eruptiones in cute producerent, demum ſubjungit: » Stante hâc conſtitutione accerſebar » ad Virum doctiſſimum, D. D. *Mor-* » *rice*, qui tunc temporis *Londini*, jam » *Pethworthiæ*, medicinam cum laude » facit, hâc febre cum effuſiſſimis ſu- » doribus, & frequentibus petechiis la- » borantem; conſentientibus aliquot » aliis Medicis, utrique noſtrum fami- » liaribus, vena ſecta fuit, ſurrexit è » lecto, abſterſo primum ſudore, medi- » camentis & diætâ refrigerantibus uſus » eſt præſentiſſimo cum levamine, mul-

» tis malis ac periculosis symptomatis
» mox difflatis; & cum eidem methodo
» insisteret, *intra paucos dies sanitati*
» *restitutus est* »,

Itaque imitatus *Sydenhamum*, hominem detersis sudoribus lecto per aliquot horas ac deinde sæpiùs exemi, sola diluentia & expectorantia ipsi præscribens: unde effectum id, ut intra paucos dies miliaria penitùs evanescerent, & interturbata peripneumoniæ crisis feliciter & restitueretur & perficeretur. Ne verò Auditores, patrio errore præoccupati, siniſtri quidpiam huic homini in posterum vererentur, eumdem, eorum in gratiam, diù sanum vegetumque in nosocomio alui.

Notandum porrò erat hominem hunc ex malo regimine prædispositum fuisse, antequam in nostrum nosocomium deferretur, ad hanc eruptionem; unde posthac levi causâ excitante, præ incuriâ, adjunctâ, exanthema in actum prorupit.

Repetitis igitur omnibus, quæ circa propositam Quæstiomem nunc dicta sunt, constat 1°. Exanthemata miliaria & benigniora & rariora contigisse, a remissione regiminis medelæque calidioris. Adfuisse tamen, quum regimen istud,

errore tum vulgi tum medicorum, integrè mutari haud potuerit.

Conſtat 2°. Obſervatione *Sydenhami* exanthemata hæc ſponte ſuâ nonnunquam ingruere, ſæpiùs tamen arte extorqueri: neutrâ autem ratione critica eſſe probari. *Trumphius* idem quod *Sydenham* notat.

Conſtat 3°. Obſervatione eruditi *Porchon*, nullâ ratione unquam critica vocari debere. Clariſſ. *De Sorbait* petechias, tam in Febre *Hungaricâ* quàm ipſâ Petechiali, nihil critici habere cenſuit, ſed abundantiam modò teſtari pravitatis » Petechiæ, quocumque morbi » tempore apparentes, hoſtile prædomi- » nium *prænuntiant* ». ac paulo poſt Petechialem Eruptionem *Symptomaticam* vocat, cujus retardatio cum non noceret, putabat Venæ ſectionem non prohiberi à Petechiis jam extantibus.

Conſtat 4°. Morbos febriles inflammatorioſque, integrè citòque curari, in quibus eruptio hæc, tanquam non adeſſet, penitùs negligitur. Ergo nullum quidem criſeos modum hic obtinuit.

Liceat 5°. Id addere, quod & Medici complures, & ego in noſocomio, ſive in vigore morborum, ſive eorundem in fine, nunquam noſtris in ægris, quibus

à principio affueramus, agendique exiteramus arbitri, miliaria deteximus.

Confirmatur autem hoc ipſo problemate quod pag. 47. ex *Ill. Præſidiis* in caput de aphthis commentario mihi objiciebatur. Si enim concedamus in morbis acutis id miliaria in *Germaniâ* eſſe, quod apud *Belgas* aphthæ, tunc hîc uſui veniet obſervatio magni *Boerhaavii* quam *ultimis vitæ ſuæ annis* ſuis communicabat cum auditoribus, imminutarum ſcilicet incredibiliter aphtharum, ex quo *Sylviana* methodus apud *Batavos* proſcribi cepiſſet. Hoc adeò verum, ut Medici frequentiſſimam ibidem praxin exercentes, aphthas quovis anno pauciores deprehendant ita ut in febribus acutis vix ultra bis, ter, in anno eaſdem videant: in febribus quidem malignis paulò crebriores, ſed ſimul plane ſimptomaticas; cæterùm eaſdem modò vel in Infantibus, vel in Scorbuticis, ut ſolemne ſemper erat obſervantes.

Videremur ergo ad problema Ill. Viri affirmando reſpondere poſſe: eoque magis quòd apud *Huxham* pluribus obſervemus in locis in eâdem quidem malignâ epidemiâ & aphthas & miliares & petechias ſimul prodiiſſe; quòdque

in *Decad.* 2. Act. *Berolin.* anni 1729. & 1730. aphthæ funeſtæ unà cum miliaribus invadentes deſcribantur.

Ex quibus cunctis ritè conſideratis, concluſio hæc, ni fallor, conſequitur, *Miliaria Exanthemata frequentiùs malâ arte progigni ſponte longè rariùs.*

At nimis, forſan, propero.

Primo Egregius *Huxham*, *Huxham* longâ annorum ſerie Naturæ in Epidemiis contemplandæ unicè addictus; *Huxham* ſtudio *Hippocratico* clarus pluſquam quinquageſies obſervavit, ſcriptiſque notavit, criſin acutorum, tum miliaribus, tum petechiis, contingentem: imò tempora vixit, ubi in unâ epidemiâ criſis & aphthis & petechiis & miliaribus ſimul contingeret. Ergo ſunt critica.

Secundò, id quod hîc *Huxham*, idem clari in arte viri paſſim animadvertunt; miliares proinde ac petechiales efflorescentias æquè criticas ſalutantes, quàm aut varioloſas aut morbilloſas: ita quidem ut, quemadmodum poſteriores averruncare nec debemus, nec poſſumus, ita etiam neque priores. Medicos itaque, ut variolas morbilloſque malâ arte pejores reddere queant, haud verò generare; ita etiam miliares atque pe-

techias eos præpoſterâ methodo depravare, creare autem minimè poſſe.

Tertiò, quod egregii Viri *Hofmann*, *Trumpſius* aliique teſtati ſunt, idem boni Practici quotidie experiuntur. Utuntur quippe illi ſive privatis in ædibus, ſive publicis in noſocomiis, temperato regimine ſimilique medelâ. Nihilominus miliaria & petechias oboriri vident, adoleſcere, exſiccari: ut profectò verum naturæ opus, non artis; ut naturæ criticè agentis, haud verò malâ arte perturbatæ effectus eſſe videantur.

Quartò, id quod acutis in morbis, & die critico fit, & cum omnium emendatione ſymptomatum fit, & cum ſanitate ſenſim redeunte fit, id ſanè vel criticum eſt, vel nihil uſpiam criticum dici poteſt. Sed attenti Practici teſtantur hoc de eruptione miliari & petechiali. Ergo vel hæc eruptio critica eſt, vel in totâ Medicinâ nihil critici exiſtit.

Profectò ſi omnia hæc ita ſe habeant, præproperè meam videor formaſſe concluſionem; quod eo magis demiror quia non formaveram illam, niſi pluribus iiſdemque repetitis, tum clarorum in arte virorum, tum meis propriis obſervatis, ſuffultus & innixus. Adeone obſervatis obſervata repugnent? Natura

num ſibi contraria, & mendax? Poſtulat igitur à me, me jubet æquitas, meam jam formatam concluſionem ad tempus relinquam, ut vim datarum objectionum ſeriâ mente expendam.

Ac primò quidem *Huxhami*, Viri cujus magnum apud me ac venerabile nomen opera 20. annorum revolvens, deſidero ſæpè in Authore Authorem. Sanè me cogit veritatis amor, ut acerbè conquerar virum hunc & *Hippocraticum* & *Sydenhamianum*, toties præceptorum utriuſque obliviſci. Quæ verò cauſa hujus? Proprii amor ſyſtematis, quo id ratum habuit, quòd maligni quidquam pluribus in febribus ſubliteſceret, calidioribus attenuandum movendumque, ſudoribus demum expellendum. Utique pleriſque in Epidemiis ſudori tum ſymptomatico, tum vi coacto nimium tribuens fidenſque, miliaris ac petechialis eruptionis incautus extitit, nec ullo modo imitandus admirator. *Sydenhamo* in acutis curandis oppoſitum *paſſim* videatis, præter optima, quæ laudatre-media, ubique ferè commendantem *Confectionem Raleig*, *Theriacam Andromachi*, *Radicem Contrajervæ*, *Serpentariæ Virginianæ*, *Salem C. C. Vinum rubrum cum Mace & Cinamomo uſtula-*

tum, &c. Intueamini egregium virum in accuratâ Dissertatione *de Febribus* ipsi dictis *Nervosis* anni 1737. quas alio nomine *Malignas* appellamus, quasque miliares & petechiæ toties, ipso observante, concomitabantur. » Cardiaca hæc, » inquit, (mox memorata) eaque re» petita, frequenter desiderabant lan» guor continuus, & collabentes assi» duò vires, quæ & sudores etiam ma» turos, criticosque, sæpe movebant, » *aut pustulas expellebant.* Videte ibidem, & ubique, quoties à tali medicatione & aphthæ & miliares & petechiæ oborirentur.

Lubens equidem fateor, cardiaca ejusmodi nonnunquam danda esse, ut labascens in morbis natura ad bonam crisin animetur; at verò omnium morborum curam, in quibus maligni quid adparere supponitur, hisce excitantibus perpetuò aggredi velle, *Hippocraticum non est*, *Sydenhamianum non est.* Hoc potius est ab unâ parte veras debilitatis in febribus causas non ad amussim distinguere, ab aliâ parte à Scyllâ incidere in Charybdim.

Doleo profectò me hîc cogi tanti viri in praxi revelare errores; sed ante me doctrinam, qualem *Huxham* hic

tradidit, condemnavit Celeberrimus *Chilchriſt*, in Act. *Edimb*, Part. 4. §. 23. ubi de his ipſis *Nervoſis Huxhami febribus* differens, omnem in iiſdem condemnat ſudorum provocationem; cum ſanguis, liquidioribus diſſipatis inſpiſſatus, morâ dein corrumpatur, letaleſque generet efflorescentias.

Si quid forte ſimile ex egregio *Pringle* objiceretur, quàm quod ex *Huxhamo*, ſimile eſto reſponſum.

Jam alterum objectionis membrum ſupra relatum aggredior, ſiſtens comparationem miliarium, cum variolis & morbillis.

Æquane hæc comparatio eſt 1°. Variolæ & morbilli non ſuperveniunt morbis ſimpliciter acutis, quemadmodum miliares & petechiæ. 2°. Variolæ & morbilli non ſuperveniunt miliaribus & petechiis, ſic ut penitùs prodeant & creſcant, ſicut quidem hæ illis; ſed tantùm eo, quo pag. 32. dictum eſt modo. 3°. Variolas morbilloſque naſcentes non ſuffocamus nec propulſamus, cum ſubitâ ægri conſtantique ſalute, quemadmodum experimentis evicimus Petechias ac miliares propulſari. 4°. Regimine ac medelâ calidis, nunquam Variolas & morbillos, ſed quidem milia-

res ac petechias generari, experimentis probatum est 5. Prodeunt variolæ & morbilli, copiosi, numerosi, in plurimâ hominum parte, etiamsi ægri temperatissimè tractantur; petechiæ verò & miliares temperato regimine rariùs. Nullo ergo jure criticas has eruptiones posteriores ideò vocant, nullo omninò jure eas comparant cum prioribus.

Ad tertium objectionis membrum de lapsi, respondemus minimè nos negare aut velle, aut posse, miliares aut petechiales eruptiones iis observari Medicis, qui in acutis Naturam nullatenùs cogant, sed quamreligiosissimè observent eamdem sequanturque. Sed an ideò efflorescentiæ hæ opus Naturæ sunt? Haud puta verim.

Nam 1°. homines temperatissimè tractati, utroque hoc eruptionis genere affici contagione possunt, quam ante morbum, cum affectis consuescentes, contraxerint.

2°. Calidum regimen plerisque hominibus ita sacrum est, ut principia morborum conentur provocatis vincere sudoribus, imò ut sæpè calidiora remedia sponte his addant. Desinant ergo mirari Medici, qui postmodum ad hos ægros advocantur, aut eosdem sua in

noſocomia recipiunt, quod vel jam adſit eruptio, vel brevi poſtea compareat; quantumvis temperatè eoſdem tractent.

3°. Experimur hanc de utilitate calidi regiminis opinionem tam altas apud plebem egiſſe radices, ut vix iteratò moniti, minuant auctum athmoſphæræ calorem: imò, ut minuant eumdem ſolummodò, circa quam horam expectent Medicum; augeant verò mox, atque ille receſſerit. Quod de aëre, idem de ſtragulis verum. Ita ut cauſam ferè inevitabilem ponant exanthematum.

4°. Vehementer quoque & generant, & contagione multiplicant has eruptiones omnes illæ cauſæ, quas *Ill. Præſes* Libr. *de morb. Caſtr.* recenſet: Loca paludoſa; multa militum manus arctiore ſpatio collecta; Noſocomia naveſque, vulneratos numeroſque ægros; anguſtiore loco ventis haud perluſtrato, continentes. Ita enim ex variis his putridis exhalationibus athmoſphæra inquinatur, ſic quidem ut febres, & febres cum ſimilibus eruptionibus, excitentur. Unde facilè capitur cur poſtmodum, aucto horum numero, malum propagetur, & epidemicum fiat, quando ægri ejuſmodi ad varias plagas, quo aptiùs curentur, deferuntur.

Ex omnibus hiſce evidens ſit inevitabiliter nonnunquam exanthemata hæc generari, imò obnitente medico produci, & tandem contagio univerſas afficere regiones poſſe. Sed collectâ in unum vi omnium objectionum nondum id probatum video, quòd miliaria, aut petechialia, exanthemata, vi naturæ, morbi ratione, impulſu verè critico, crebrò generentur.

Ad quartam objectionem reſpondeo, haud ita profectò cogitaſſe, qui critica eſſe hæc exanthemata negaverint, Authores; licet ſibi ipſi hæc objicerent, quæ objectio iſta inſinuat, Referam modò eorum ſententiam. Videntes illi eruptiones haſce, die critico, cum morbi emendatione prodire, ac variis ſubſequentibus diebus criticis repetere, integramque ſubſequi ſalutem; teſtantur ſimul ſe obſervaſſe quod vel ſudore, vel vomitu, vel urinâ, vel alvo, vel ſputis, aut pluribus harum viarum ſimul evacuatio coctæ morbi materiæ, contingeret. Cum ergo clari hi viri tot aliis exemplis didiciſſent exanthemata hæc minimè critica fuiſſe, & cum eorumdem eruptione veras evacuationes criticas aliunde obſervaſſent, credire criſin quidem conſuetis Naturæ viis hîc

contingere, per eaſdem autem bonas Naturæ vires, quibus & criſis, & quæcumque critica evacuatio contingeret, etiam illud noxium, peregrinum, exanthematicum, ad cutim pelli, & vel ibidem debito tempore hærens exhalare, vel citiùs inde retrocedens per cæteras, jam apertas, excretorias vias eliminari.

Mentem utique horum Authorum ſic fuiſſe ex prægreſſis patuit. Diſertis verbis eruditus *Porchon* hanc eſſe ſuam ſuper hiſce ſententiam declaravit. Nec aliter cenſuit Clariſſimus *Ritterus*, agens de Febre petech. quæ annis 1740. & 1741. in *Haſſiâ* graſſabatur. Cæteras enim morbi evacuationes verè criticas expertus concluſit petechiale exanthema minimè criticum, ſed merè *accidentale* eſſe; idque eo magis, quod egregiè curatos cerneret, quibus petechiis, aut prorſum neglectis, aut imprudenter retropulſis, bona cæteroqui medela ad criſin, conſuetis Naturæ viis producendam, utilis fuiſſet.

Attamen non is ſum, qui horum Authorum concluſionem certè paulò generaliorem ita amplecter ac defendam. Unum alterumve exemplum minimè coactæ efflorescentiæ obſervaſſe mihi videor: caſus nonnullos criticos à fidis

obſervatoribus tenere me credo. Negare etiam nollem exanthemata hæc unquam eſſe morbum ſui generis, minimè cæteris ſupervenientem; cum de petechiali id videatur apud Authores, qui de eo, ut peſtilentiali, ſcripſerint, conſtare. Sed ſimul me jubet tum clarorum Virorum autoritas, tum propria experientia id extra tempora peſtis credere, quòd Medici hîc facilè decipiantur, quòdque longè rariores, quàm putent, hi caſus ſint. Hoc totum quod demonſtrare volo.

Multa ſanè me in hac meâ confirmant ſententiâ. Plura jam dixi: ſed en aliud notabiliſſimum. Noſocomium *Fratrum Miſericordiæ* multis utique ab annis, & quidem ferè uſque ad annum 1758. horum Exanthematum crebritate infame erat. Ipſi *Fratres Miſericordiæ* mihi faſſi ſunt, calculo ægrotantium quotannis ritè ſubducto, ſemper 30. ægros, ex 100. acutè laborantibus, exanthemata perpeſſos fuiſſe. Sed en! quantopere nunc rerum mutata facies! Sex modò ægri, per ultimos duos annos, alterutrâ harum eruptionum laborarunt: eo quidem cum effectu, ut numerus eorum, qui annis ſuperioribus acuto ibidem morbo perire ſolebant, jam unâ quintâ cum dimidia propemo-

dum ſit imminutus. Cauſam tantæ mutationis rogati, reſponderunt ſeſe à biennio ſolitos eſſe aërem luſtrare ſæpiùs ac renovare; nitorem loci lectique colere; lectos quotidie reficere, ne ſuis in ſpurcitiis, aut putridâ athmoſphærâ ægri hæreant; ægros moderatiſſimè tegere; nulla ultra medicamenta calida iis exhibere; nunquam ampliùs in morborum principio citra manifeſtas indicationes vomitoria dare; potu copioſiore nunc ægros ſuos implere; & rationem medicamentorum nunc planè *Hippocraticam*, *Sydenhamianam*, *Boerhaavianam* eſſe. Poſtquam hæc, ſcripſeram, accepi Extractum a *Fratribus Miſericordiæ*, ex eorum Necrologio, & Noſologio, integrorum quinque annorum. Ex hoc Extracto conſtitit, ſi primò quinque hi anni in unam ſummam addantur, dein per quinque dividantur, 2000. ægros quotannis inibi ſuſcipi, & 700. acutis morbis laborare. Ex 100. ſolebant 30. has efflorescentias pati; id eſt, 210. homines quotannis ibidem Miliaria, aut petechias patiebantur. Porro circa medium annum 1758. mutationem illam maximam, de qua in textu, induxerunt. Effectum inde, ut ultimo hoc ſeſquianno ſex modo ægri exanthemata habuerint.

Ergo olim ſeſquianni ſpatio 315. ægri habuere exanthemata, ultimo ſeſquianno ſex duntaxat, quamvis ultimo hoc ſeſquianno numerus acutorum morborum ſolitum ibidem numerum adhuc ſuperaret. Ergo olim $\frac{30}{100}$ partes acutis laborantium habuere exanthemata, jam $\frac{1}{5\frac{1}{2}}$ duntaxat. Contulit autem huc à biennio plurimùm Expertiſſ. *Bertrandus*, Medicus ex eodem conventu in hâc Univerſitate promotus; tum etiam ab anni retrò ſpatio dignus ibidem Phyſicus, Dominus Medicus *Guarrin*.

Unde reſumere jure mihi videor concluſionem, quam ſupra ad tempus reliqueram, & dico: exanthemata hæc minùs Naturæ opus ſunt, quàm artis perverſæ; ita quidem, ut, quæ à Naturâ producuntur, longè rariora inveniantur, quàm quæ eâdem non cooperante generentur.

Præterea fatendum eſt petechias, & miliares, niſu imperfecto & erroneo Naturæ nonnunquam naſci, idque hanc ob cauſam: *Hippocraticas* leges circa criſes vix hîc obſervant Medici multi. Exactè diem morborum numerant; imò nonnulla audent, vi dierum, præſagire; utinam autem vi dierum etiam medicarentur! Homo v. c. pleuritide correp-

tus, poſt aliquot v. s. quarto die ſputa quædam mucoſa facilè ejicit, urinam utcumque turbidam, brevi aliquid deponentem mingit, leniter tranſpirat, doloremque olim ſævum, jam experitur moderatum, cum bona reſpiratione. Æterna *Hipp.* obſervata docent hîc à Medicis nihil eſſe mutandum, vaſa non ultra evacuanda, naturamque ſuo operi ſalubriter intentam, minimè debilitandam eſſe, ſed prudenter potius ſuſtentandam, & quà via ipſa nunc monſtrat, eo eſſe ducendam. Multi noſtratium Medicorum, eo quòd dolor quiſquam ſupereſt, venam denuò ſecandam eſſe judicant, idque donec is penitùs abſit. Si in conſultatione moneantur æternarum naturæ legum, quas hîc infringere nefas; imò, ajunt, *Auſtriacum id Clima poſcit.* Allatura igitur quæ fuiſſet ſalutem Natura, jam turbatur, infirmatur, ab incepto opere avertitur; tunc morboſa materies circumfertur, ſtagnat, corrumpitur, nova contracta acrimonia ſtimulat ſolida, exſuſcitatque elanguidas Naturæ vires, quæ portionem corrupti inani conatu ad cutim ducant; haud meliori ſæpè cum effectu, quàm ſi idem corruptum diarrhœâ colliquante, per meſentericum aut cœliacum ſyſtema, viam capeſſiviſſet.

Porrò si cui placuerit etiam critica vocare hujusmodi exanthemata, per me quidem id licet; modò is concedat diarrhœam colliquantem, colliquantesve eodem in casu sudores, criticos quoque appellandos esse. *Interim turpe est quotidie gementes hîc Medicos observare, nihilque ita, quàm exanthemata suspirantes, & ea dum, vel è longinquo suspicantur, laudare ovantes, animum erigentes ægris, & familiæ; dum interea tot exemplis convicti esse debeant summæ harum curationum raritatis.*

Quid verò demum generi humano calamitosius, quam quòd *& plebe, & Medicis conspirantibus*, tot milleni quotannis ægri, ab ipso principio acutorum, in sudores symptomaticos agitentur, ac veluti fundantur, ut coacta omninò crisis, in plerisque aut letalis, aut periculosa saltem, producatur; interea dum salutaria Naturæ molimina turbantur, confunduntur, ac penitùs sufflaminantur. *Faxit DEUS, ut demum sapiant Phryges!*

Quisquam interim Articulus practicus hic pertractandus supereſt. Ponamus Medicos vocari in nosocomium, cujus arctiores parietes, majorem vim hominum concludentes, efflorescentias

petechiales aut miliares, expoſito antea modo, ſuis incolis conciliaverint. Ponamus Medicos arceſſitos ad ægrotos, qui vel proprio marte, vel induſtriâ Medicorum, iiſdem jam ſcateant. Ponamus denique plebejos, militeſve ægros hiſce jam plenos ad Noſocomia deferrri; quid agendum eſt? Promovendæne erunt eruptiones, ne introverſæ occidant? An verò neglectis his cura omnis ad Naturam morbi rationabiliter convertenda?

Theoreticè reſponſurus, dicam omnes ſymptomaticas, vel accidentales excretiones, ut ægro noxias, ſupprimendas, ſaltem fovendas non eſſe. Regulas praxeos, ni fallor, omnes hîc mecum habeo conſentientes. Sed expedit practicè reſpondiſſe, & quidem experimentis.

1. Contigit biennio circiter elapſo, ut *Leopoldini* Suburbii noſocomium Quingentos propemodum milites alios poſt alios exciperet, alios poſt alios petechiis cerneret laborantes. Solo regimine temperato, claretis Flor. Cordialium cum multo ſpiritûs ſulphuris per campanam, ac Sero lactis vinoſo, omnes citò, tutò, jucundè, convaluere: Duodecim duntaxat inter quingentos

exceptis, in quibus malum nimium adoleverat. Aderat ibi Medicus Expert. D. *Kollman*; eoque ægrotante, Expert. D. *Storck*.

2. *Sydenhamus* Collegam ſuum mediis in petechiis abſterſit ſudoribus, lecto exemit, atque venâ pertusâ, datiſque remediis refrigerantibus, intra paucorum dierum ſpatium reddidit ſanitati: imitatus certè hic *P. Foreſtum*, qui Lib. 7. obſ. 27. eodem modo hominem à ſudoribus, calidiore regimine in febre excitatis liberavit, ſubjunxitque » His & tenebris, & morti quaſi » deſtinatus, ad lucem & vitam re- » vocatus eſt. »

3. Miliaribus correptum peripneumonicum ſimili, quam *Sydenham*, methodo, in noſocomio noſtro paucis diebus integrè percuravimus.

4. Plura exempla Medicinæ Studioſi in noſtro noſocomio viderunt prodeuntium ſive miliarium, ſive petechiarum, in principio febrium aut acutarum, aut inflammatoriarum, quas nempe homines domi ſibi, antequam ad nos deferrentur, contraxerant, quæ ultra non progrederentur, quæque citò diſparerent: interea dum cura morbi propria, nullo habitu ad eruptionem reſpectu, ſanitatem brevi reſtitueret.

5. In Casibus, in quibus ægros ferè desperatos suscepimus, qui aut hemitritæis neglectis, aut febre continuâ putridâ, eâque pessimâ laborarent, vel qui præ debilitate vix ultra febrientes pessimis quibusvis symptomatibus affligerentur; sive jam miliaria petechiasve haberent, sive easdem brevi, si vitam protraherent, habituri ex anteactis viderentur; læti vidimus dato cortice peruv. copioso, vel sine progressu exanthematum, vel cum uberiore eorumdem secretione, (unicam fœminam si exceperis) sanitatem integram incredibile quàm citò, quàmque perfectè rediisse.

Igitur moderatum regimen, & propria morbi cura, videntur eos servare, qui magno in periculo nondum versantur; cortex verò peruvianus iis omninò necessarius adparet, qui verè malignè decumbunt. *part.* 3. *Rat. Med. cap.* 1. ut & *part.* 4. *cap.* 1. evidentia & convincentia exempla dedi.

Innuerat jam olim præstantiam ejus *Ill. Præses* Cap. de aphtis, pag. 214. *Sydenham* corticem dederat tempore epidemico aphtosis: nam si aphtæ sponte non recederent, febris in intermittentem abibat, tumque & febrim

fugabat

fugabat cortex, & cruſtas pellebat aphthoſas. Suſpicatus ergo *Ill. Commentator* ſub aphthis pertinacioribus gangrænam hærere, adeòque corticem prodeſſe. » Fortè & cum prudentiâ, ait, » tentari poteſt, quid faceret corticis » uſus in exanthematibus illis, quæ » frequentiſſima occurrunt illis in regio- » nibus, ubi aphthæ vel nunquam, vel » ſaltem rarò admodum, obſervantur » in febribus. Aliquoties feliciter ceſ- » ſiſſe hanc methodum novi; ſed non- » dum ſatis multa colligere potui expe- » rimenta practica, ut circa hanc rem » determinare quid audeam. »

Febris *Hungaricæ* dictæ cujus ortum ab anno 1566. ducunt, mentionem hîc nec feci, nec debui; cum ad febres ita dictas malignas caſtrenſeſque pertineat, & ſæpe petechias junctas, ſæpe non junctas habeat. Authores *Germanici*, & præprimis *D. Sennertus*, hîc adeundi ſunt. Cæterùm quæ de curâ malignarum febrium cum petechiis aut miliaribus dicta ſunt, ea ad hanc *Hungaricam* quoque ſunt adplicanda.

Mirabitur fortè etiam quis Peſtis hic deſiderari hiſtoriam. Verùm noverit ille eam me, DEO favente, nunquam vidiſſe, adeòque ex *Francaſtorio*, *Platero*,

Riverio, *Diemerbroeckio*, *Sylvio de le Boë*, *Barbette*, *Sydenhamo*, &c. corradere me eamdem debuisse. Id quod, ut unicuique ejus historiam cupienti facile est, ita minùs mihi conveniens fuit; veluti qui ea, quæ & magis obvia in praxi sint, & passim oculis visa meis, & propriis confirmata exemplis, Auditoribus hîc tantum proponere volui, debui.

§. V.

DE FEBRE VARIOLOSA.

Febris hæc accuratissimè examinari meretur, in variis magni *Sydenhami* operibus, in Immortalis *Boerhaavii* Aphorismis, in operibus *Freindii*, *Mortoni*, *Listeri*, *Meadii*, ubi de Variolis agunt. Compendium horum, cum additamentis practicis, dedi *Rat. Med. part. 2. cap. 3.*

Communi more dividi Variolæ solent 1°. in *Regulares*, & *Anomalas*. *Regulares* sunt, quæ consuetum ordinem servent; *Anomalæ*, quæ eumdem perturbatum habeant. Priores *Sydenham* totâ suâ 3. Sectione descripsit; posteriores verò Sect. 5. cap. 4. & in Diss. Epist. ad *G. Cole*.

Cum *Regulares* naturalem morbi ideam dare queant, erit ab iisdem petenda morbi descriptio. *Anomalarum* deinde ideam postliminio dabit harum à Regularibus recessus.

Regulares dividuntur in *Discretas*, *Confluentes* & *Cohærentes*; quod ultimum genus quoddam est, Discretas inter ac Confluentes ambigens.

Primò oritur febris dicta Varioloſa, quo tempore etiam adesse dicitur Contagii stadium. Est illa major, minor, acuta passim, cum valido dolore capitis, dorsi, lumborum, præcordiorum, cum vomitu, aut nauseâ: quibus propensio in sudores in Adultis sæpe jungitur, in Infantibus verò convulsio.

Finiente die tertio, aut quarto inchoante, solent in *Discreto* genere adparere in latere Colli, aut in Genâ, aut prope Labia, Frontemve, aut Pectus, rubræ maculæ, sed mox utcumque elevatæ, ut brevi pustulæ minimæ esse videantur; principio autem acicularum puncta magnitudine suâ æquantes, sparsim prodeuntes; ventrem, dorsum, superiores, inferioresque artus, successivè obsidentes. Grandescunt paulatim, nisi quòd non rarò una alterave paulatim se

ſubducat, nec ultra, ſaltem eumdem in locum, redeat.

Tertiâ ab eruptione die ſolet puſtula jam plena pure videri, eodemque, aut quarto die, cutis puſtulis intermedia tenditur, inflammatur, rubet, dolet.

Undenam hæc tenſio cutis? à copiâ materiæ varioloſæ. Natura ejus partem maximè virulentam, die 3. vel 4. febris in puſtulis locare inchoat, dein pergit; reliquam portionem per biduum magis coquit, & in celluloſâ membranâ ſub cute deponit. Hæc nunc cocta materies, partim ſalivatione in confluentibus, Infantumque Diarrhœâ, evacuatur; partim verò metaſtaticè à facie ad manuum dorſa carpoſque, ab his iterum ſæpè ad crura, deponitur; partim denique puſtularum augmentum facere videtur, iiſdemque exſudare. Docet id reditus puris fuſci, & ad ſuperficiem puſtulæ indurati, quod licet ablatum, tamen toties renovatur. Confirmat idem experimentum in methodo puſtulas maturas perſcindendi toties obſervatum, quod puſtula quater, quinquies, perſciſſa, evacuata, & ſpongiâ deterſa, tamen novo de integro pure brevi poſtea ſcateat: unde ſimul liquet quantopere hîc perpetuæ cutis hu-

mectationes prosint, omnesque emollitiones, balnea bis ter de die iterata crurum, imò & brachiorum; ut & usus continuus internus diluentium ac humectantium: sed redeamus in viam.

In frequentioribus Discretis rarum non est observare pustulam planiorem, inque suo centro veluti leviter intropressam: sæpe tamen æquali rotunditate turgescit.

Grandescentes autem pustulæ asperiores fiunt albidioresque, donec die 4. ab eruptione, die 8. ab initio morbi, in facie fuscescant, maximè in centro; ibidemque tandem fissæ, flavam materiem stillent: quæ collecta & siccata, molem siccantis se pustulæ auget. In artubus verò solent pustulæ albidiores planioresque conspici.

Die totius morbi undecimo (aliquando citiùs) tumor faciei incipit collabi, jamque fiunt tumidæ manus, ac denique pedes. Sic quidem ut exsiccatio & detumescentia eo ordine procedat, quo processerat pustularum eruptio. Siccantur igitur crustæ, ita ut multæ die 12 & 13. jam siccæ sint, die 14. plurimæ, ac tandem denique per totum corpus.

Ipsa porrò febris varioloſa de quâ hic agitur, ad eruptionem Discretarum

miteſcit, die 5 & 6. morbi ſæpè vix advertitur, die 7. & 8. ad maturationem puſtularum major, ſenſim iterum lenteſcit, ac ceſſat.

In alterâ Variolarum Regularium ſpecie, *Confluentium*, Febris varioloſa ſe quidem, ut in Diſcretis, habet, ſed paſſim longè violentior eſt, violentioraque ſymptomata habet. Minor eſt in eâdem in ſudores propenſio, præceditque nonnunquam Diarrhœa eruptionem: ex quorum uno pluribuſve ſignis, confluentium futurarum variolarum conjectura, fallax tamen aliquando, formatur. Solentque confluentes tertio die erumpere, niſi quando Natura aut debilior, aut vi morbi ſuppreſſa, ſeriùs eaſdem, malis cum ægri rebus, propellat. Symptomata febris varioloſæ ad Eruptionem haud tam commodè ſedantur, quàm in Diſcretis.

Confluentium Eruptio aliquoties ei Eryſipelatis, vel & Morbillorum, ſimilis, ab horum alterutro tamen diſtinguitur, tum febre atque ſymptomatibus prægreſſæ febris, tum Epidemiâ regnante: quamvis, ut poſthac patebit, aliquando hic falli detur.

Dum creſcunt puſtulæ, in molem ſpectabilem vix aſſurgunt, ſed ſibimet

invicem implicitæ, instar vesicularum rubrarum vultum contegunt omnem, deinde, ut latæ pelliculæ & albæ, vultui ferè agglutinantur. Post 8. diem ab eruptione elapsum fit hæc pellicula asperior, sensimque non flava, ut in Discretis, sed fusca: asperitas hæc cum Cutis tensione crescit, donec latioribus laminis pellicula disquammetur; id quod 17. 20. vel & seriore die, contingit.

Salivatio in Adultis, Diarrhœa in Infantibus, multis in Epidemiis Confluentes concomitatur, in nonnullis minùs frequenter, in quibusdam rariùs. Quin graves Discretas aliquando Salivatio hæc comitatur, imò nunnunquam ipsam Febrim Varioloſam, sine Variolis.

Nec perpetuò solis Adultis hæc adest Vidi 2. Jan. 1748. puellam triennem, tertio die, post validæ Scarlatinæ eruptionem elapso, Variolis, iisque confluentibus, occupari; quæ sine Diarrhœâ, sed cum leviore Salivatione, integrè convaluit. Eodemque mense valido diuturnoque Ptyalismo correptam novennem puellam vidi & curavi in confluentibus.

Sunt quoque Epidemiæ, in quibus

Infantum Convulsio benignas Discretas auguretur; sunt aliæ in quibus planè fallax hoc augurium.

Comparando utramque hanc speciem, intelligimus longè tetriorem, & tenaciorem esse materiem Confluentium, quia Natura integro quatriduo plus indiget ad coctionem, & quia hanc ipsam coctionem majore cum vi & periculo elaborat perficitque.

Tertium genus febris Varioloſæ, seu Variolarum, *cohærens* appellatur. Discretæ enim licet papulæ sint, denso tamen adeò agmine corpus obsident, tamque vicinæ locantur, ut plurimis in locis racematim cohæreant. Febris in illis major est, quam in Discretis, rariùsque ad 8. morbi diem maturitatem pustulæ adipiscuntur, & tardiùs tum siccantur, tum decidunt; imò conjunctum aliquoties, quod supra monui, Ptya ysmum habent: in genere tamen sunt Confluentibus per omnia tolerabiliores.

In singulâ Variolarum specie tum magnitudo morbi, tum ejus periculum, in genere desumuntur à pustularum numero; deinde etiam ab earum, quæ in facie, crebritate.

Descriptis Variolis Regularibus;

verbo dici poterit quid *Sydenhamo Anomalæ. Anomalas* vocavit, in quarum quâcumque ſpecie, & febris, & eruptio, & natura papularum, colorque earum, & cruſtæ ipſæ, à deſcriptis regularibus majore malignitate recedunt, ac ſtadiorum ſuorum tempora multimodè mirificèque permutant.

Meritòne igitur ad Anomalas referemus *Cryſtallinas* dictas, pus nullum, at erodentem potiùs Lympham continentes; quo & *Siliquoſæ Freindio* vocatæ, referrentur? Itidem *Verrucoſas*, puſtulas non purulentas, ſed diſcretas Verrucas referentes, nec decidentes, ſed temporis lapſu in ſquammas fatiſcentes? Poſteriores *Cl. Mead* prioribus pejores habet; nonnullis verò illas ſat commodè ceſſiſſe vidi. Denique ſunt *Sanguineæ*, quaſi ipſe ſanguis Veſiculas, putulaſvè, repleret; quæ non rarò vel liveſcunt ipſæ, vel maculas lividas liberâ in cute adjunctas habent. Sanguineas haſce, brevi lividas, ſemel vidi, cum mictu copioſiſſimo ſanguineo, quinto morbi die letales.

Porrò qui omnes has Variolarum ſpecies attentè conſiderat, ineptam fortè habiturus non eſt *Cl. Mead* Diviſionem, qua omnes omninò morbi ſpecies in

ſimplices, benignaſve duntaxat, & malignas diſpeſcuntur. Uſus enim docuit Confluentes nonnunquam dari, quæ minus negotii, quàm quædam Diſcretæ, faceſſant; tum & hinc inde Cryſtallinas, ſeu Siliquoſas, Verrucoſaſque obſervari, quæ citra moleſtiam terminentur.

Tandem *Variolæ ſpuriæ* dantur, eæque nonnunquam epidemicæ, quæ vel nullâ, vel exiguâ febre ſtipatæ, altero die erumpunt, ac tertio quartove die diſparent. Memoriæ causâ hîc tantummodò recenſentur, ne quis eaſdem cenſeret ad Variolarum claſſem aliquam referendas eſſe.

Cæterum, Cura *Hippocratica*, *Sydenhamiana*, *Boerhaaviana*, ut in cæteris efflorescentiis febrilibus, hîc præprimis neceſſaria eſt; prout eamdem Medicinæ Studioſi in Noſocomio adhibitam norunt, & *part.* 2. *Rat. Med. Cap.* 3. deſcriptam habent. Cui id modò addendum cenſeo, quòd in verâ malignitate, ubi mictus ſanguineus, ejuſve ſputum, aut maculæ purpureæ, lividæ, nigræ apparent, Cortex Peruvianus ex Analogiâ credatur haud minoris efficaciæ futurus, quàm quidem in ſimilibus caſibus, in quâcumque aliâ

malignâ febre obſervatis, demonſtratus fuerit. *Rat. Med. part. III. cap. I.*

Præſentem §. abſoluturus, hanc Lectoribus animadverſionem debeo, quòd ſi in ullo unquam morbo conſtet, quid præſtet Methodus bona, quid mala noceat, id conſtet in Variolis. Ipſo anno elapſo 1759. Medicos præſens audivi deteſtantes Variolarum eo anno ſummam perniciem, habetque Necrologium *Viennenſe* 500. circiter iiſdem anno mortuos elapſo. Alios interim Medicos audivi earumdem benignitatem plurimum laudantes: ſed quales? Qui præceptis *Sydenhamianis*, ac *Boerhaavianis* imbuti, Variolas tractabant. Exp. *Noſocomii Civici* Dominus *Erndl*, ex 59. Noſocomii pueris unicum modò amiſit vi morbi, & alterum gangrænâ, pridie ante mortem, dum vocaretur, jam affectum. Exp. D. *Unmelaüer* in *Collegio Nobilium Thereſiano* 24. eo morbo affectos habuit, integræque valetudini omnes reſtitutos vidit. Exp. D. *Prosky* in *Militari Nobilium Seminario* 28. juvenes nobiles ab hoc morbo integrè curavit. Imò gloriantem præſens audivi Strenuiſſimum ac Nobiliſſimum virum *Gordon*, Seminarii Præfectum, quod ſpatio triennii, ſub cura *Exp. Proski*,

Septuaginta nobiles juvenes Variolis laboraſſent ac *ſeptuaginta & quatuor* Morbillis; omnes autem, ne uno quidem excepto, ad perfectam ſanitatem rediiſſent.

Si igitur iiſdem temporibus alii Medici variolarum lamentantur fatalitatem, ſi Necrologia tam numeroſos recenſent, neceſſe eſt, ut horum plurimi partim neglectu parentum, quod apud pauperes ſolenne, partim, & maximè, *infortunatâ curandi methodo*, perierint.

§. VI.

De Febre Morbillosa.

Primo die obſervatur rigor, horror, calor, frigus, quæ ſe mutuò excipiunt pelluntque. Altero die febris manifeſta jam adeſt, cum ſiti, inappetentiâ, linguâ albâ, humidâ tamen, tuſſiculâ, gravedine capitis & oculorum, ſomnolentiâ. Naribus humor oculiſque paſſim extillat. Infantes ſternutant, tument illis palpebræ, adeſt vomitus aliquando, ſed eo tamen crebrior Diarrhœa, moroſitas.

Quarto die circa frontem, ac reliquam faciem, maculæ parvæ, rubræ,

pulicum morſibus perſimiles, prodire inchoant, quæ tam numero, quàm magnitudine, auctæ racematim coaleſcunt, & faciem maculis rubris variæ figuræ interſtinguunt, ſenſimque à facie ad pectus, & ventrem, & artus pergunt. Verùm in facie eminentiores paſſim, reliquo verò in corpore extra cutem vix eminent, digito potiùs, quàm oculo nudo ibidem extantes deprehendendæ.

Eruptione factâ licet vomitus ceſſet, tamen Tuſſicula, Febreſque intenduntur, & reliqua ſymptomata perſeverant. Die ſexto frons & facies, ruptâ cuticulâ, aſperæ fiunt, & maculæ per totum corpus latiſſimæ ruberrimæque comparent. Octavo die maculæ in facie, & ubique ferè diſparent, ita ut die nono vix adſint ampliùs, ſed à diſruptâ epidermide quaſi farina adhæreſcat, ſquammatim poſtea decidens.

Vulgus judicat Morbillos ſi die octavo recedant retroceſſiſſe, ait *Sydenham*, eo quòd ſæpiùs febris, anxietas pectoris, tuſſiſque augeſcant. At verò, præter tempora inſignioris malignitatis, hæc potiùs calidiori regimini tribuenda ſunt ſymptomata, quæ minui cum debuiſſent, è contrario augentur; quam eam-

dem ob cauſam idem Author obſervat Petechias aut adjungi, aut ſupervenire Morbillis.

Curatio ab eâ variolarum haud multum differt, niſi quòd pectoris habenda ſit ratio peculiaris. Venæ Sectio igitur, Refrigerantia, Diluentia, Expectorantia lenia, Demulcentia, Paregorica, Balnea crurum, Enemata, Fotus continuus oculorum, aliarumque, quæ areſcunt, partium, egregii hîc uſus. Sin autem durante morbo, eove evanido, pectus male habet, v. s. repetenda eſt, Laxantia & Paregorica exhibenda.

Morbillos eumdem hominem, plus ſimplici vice, æquè quàm variolas, afficere, teſtis oculatus novi. *Bis eidem Medicus affui.*

Tempore Morbillorum epidemicorum, ut & eo Variolarum, frequentes ſunt febres Morbilloſæ ac Varioloſæ; ita nimirum vocatæ, quod febres hæ eodem modo, iiſdemque cum ſymptomatibus, decurrant, ac ſi efflorescentiæ hæ ſubſequuturæ forent, nec ſubſequuntur tamen. Curatio eadem eſt, quàm quæ fit in ſtadio contagioſo variolarum ac morbillorum.

Epidemicorum tempore id ſolemne eſt, ut febris aut varioloſa, aut mor-

billoſa, bis, ter, pueros invadat, ac deſerat; & vel nec redeat, vel tandem cum alterutrâ harum efflorescentiarum repetat.

Quo tempore uterque hic morbus graſſatur, quod aliquoties contingit, haud rarò perambiguum ſit utra harum futura ſit, febre jam obortâ, eruptio? Ita quidem, ut ſi ex febris naturâ Morbillos expectaveris, Variolas quandoque prodire cernas, & vice versâ. Imò iiſdem hiſce temporibus ſit, ut horum morborum alterum, ſive integrè, ſive ferè curatum alter ſequatur; imò ut ambo ſimul eodem in ſubjecto efflorescant. *Vid. Rat. Med. part. II. cap. 6. pag.* 169 & 170.

Componenti mihi illud *Rat. Med.* Caput, ſuperſtes erat rudior ſimilis casûs à me viſi memoria, ſed non ſufficienter firmata, ut publicè id affirmare auſus fuerim. Fortè fortunâ incidit mihi poſteâ Diſſertatio in manus, quam ante 12. annos, ex ſchedulis ante ægrorum lectos compoſitis, proprios mihi in uſus compoſueram, in quâ invenio me ſequentia notaſſe.

» Puerulus anni unius 22. Maii 1748.
» febre morbilloſa corripiebatur, & die
» 25. Morbilli prodiere, ſed brevi adeò

» conferti, ut nunquam magis. Verùm
» circum os puſtulæ minimæ, inſtar
» naſcentium Variolarum, comparuere.
» Die 26 inter denſiſſimos Morbillos,
» toto corpore diffuſos, duodecim va-
» riolæ in facie, binæque utrâque in
» manu prodiere, foveam in medio ha-
» bentes, albidiores, ac circulo rubro
» in ambitu ornatæ. Tuſſis interea, ut
» in Morbillis, infantem immaniter
» vexat. Parentes jam ſæpius à me mo-
» niti erant, ne calido adeo regimine
» ſuffocarent infantem; monitis paruere
» tandem. Die 27. prodiere jam ubique
» Variolæ Cohærentes in facie totâ,
» trunco, brachiis, cruribus. Torque-
» batur interea infans magnis anxieta-
» tibus, febre, tuſſi, ſegni alvo, in-
» ſomniis. Multo cum labore pervenit
» ad octavum ab eruptione variolarum
» diem, quo die omnia pulcrè ſiccaban-
» tur: attamen citò obortâ dyſpnœâ
» periit. «

Et paulò ante » Decimo Maji Puer
» $3\frac{1}{2}$.annorum incepit laborare febre
» morbilloſâ, ac tertio die morbilli con-
» ferrim apparuerunt. Acutè laboravit.
» Unde etiam vena ipſi ſecta fuerat me-
» tu Peripneumoniæ in vigore morbil-
» lorum. Octavâ & decimâ menſis die

» illum Mannâ purgavi. Verum die 10.
» morbi, id eſt 19. Menſis, in genâ
» dextrâ, propè angulum oris, puſtula
» inſtar variolæ ad paruit, ut variola
» creſcens. Maji 21. variolæ in brachiis
» comparuere, manibuſque. Die 22.
» prodiere in dorſo conſertiſſimæ, ac
» tandem die 26. variolæ numero ſex
» in facie. Infans miſerè habet. Puſtula
» illa prima propè angulum oris, ſcal-
» pendo vulnerata, in fundo cruenta ap-
» paret: cæteræ in facie & collo puſtu-
» læ ægriùs matureſcunt. In reliquo cor-
» pore, & numeroſæ ſunt, & pure plenæ,
» die Maji 27. Habent omnes foveam
» in medio, & jam quâvis horâ novæ
» naſcuntur in facie variolæ, ut tandem
» die 28. tota facies diſcretis variolis re-
» pleretur. Anxiè interea admodum habet
» infans, febreſque & vagas & validas,
» ad noctem præcipuè. Variolæ pri-
» mùm natæ ſolito tempore ſiccaban-
» tur; ſed quæ ſexto à prioribus die
» comparuerant, hæ quinto à ſui prin-
» cipio die, jam perfectam maturita-
» tem citò adeptæ, ſiccæ erant. Lan-
» guit à curatione diutiùs pectore, ocu-
» lis; tandem ineunte Julio menſe Hy-
» popyon adparuit, quod diſſipatum
» perlam reliquit. Sed vix ulla medi-

» camenta ſumere voluerat, aut inſide-
» re crurorum Balneo ».

» His annis altero, tertioque die,
» poſt eruptionem validam Scarlatinæ,
» ſemel iterumque variolæ prodiere:
» ſed multoties morbilli ».

» Puella à ſcabie ferinâ à longo tem-
» pore laborans, jam utebatur pulvere
» compoſito ex Flor. Sulph. Stib. Diaph.
» Lap. cancr. Rheo. Octiduo poſt fe-
» bre correpta eſt, ac prodiere demum
» morbilli, ſed peſſimi, cum Peripneu-
» moniâ. Bis ipſi ſanguinem miſi in
» vigore morbillorum, tumque demum
» menſes ipſi, iique copioſi, profluxe-
» runt. Convaluit, & Scabies rediit
» ferocior, cum febre tertianâ. Itidem
» in aliis ulceroſa ſcabies ante variolas
» confertiſſimas, æquè ſæva, iis cura-
» tis, rediit ».

Additamentum ad priora, ac proinde

§. VII.

Eſt alia febris cum peculiari genere puſtularum, innominata fortaſſis, niſi ea ſit, quam aut *ignem ſacrum*, aut ignem *Sancti Antonii*, nonnulli vocitent. Sed & de his vocibus diſcrepant.

Multi cum *Platero pag.* 676. cap. de doloribus ſuperficiei corporis, credunt ignem ſacrum eſſe Herpetem eſtiomenon, ſeu papulam feram; plures alii ad Eryſipelatis ſpeciem referunt. *Lommius* Med. Obſ. Lib. 2. pag. 266. & ſeqq. ait eſſe Eryſipelas exulceratum, noſtrumque indicare videretur, niſi peculiare illud circa ſedem morbi omiſiſſet. Apud *Batavos* frequenter, *Viennæ* ſemel, hanc febrim contemplatus, operæ pretium judicavi eamdem huic febrium diviſioni annectere.

Febris, eaque non rarò valida, oritur, cum dolore in alterutrius lateris abdominis externâ plagâ. Die jam 1. vel 2. vel 3. maculæ rubræ eâ in plagâ oriuntur, citò admodum grandeſcentes dolenteſque, variolis diſcretis majoribus perſimiles, ſed altiores, & racematim uno in loco ſecum cohæreſcentes, tum & interſtitia vacua magnaque inter ſe relinquentes.

Perpetuâ lege, quantum numeroſi me caſus docuere, nonniſi alterutrum abdominis latus occupant. Ita quidem ut ab anteriore parte nunquam Lineam albam, nunquam à poſticâ ſpinam tranſcendant. In hâc porrò diſtantiâ inter Lineam albam & ſpinam dorſi, ſunt

nonnunquam paucæ racematim cohærentium puſtularum inſulæ, aliâ vice multæ, aliquando etiam ita, ut zona ſpithamam lata, paucis liberis plagis duntaxat relictis, medium abdomen perfectè cingat.

Semel *Viennæ* occaſionem habui hunc Morbum Auditoribus demonſtrandi, idque, quod hucuſque nunquam videre mihi contigerat, in ſolâ facie. Vir odontalgiam paſſus, dentem ſibi evelli curat; unde dolore curabatur quidem, ſed vacuo in maxillâ loco moleſtum ſibi aëris conquerebatur ingreſſum. Hoc totum quod Anamneſis docebat; quæ tamen, num ſequenti malo faverit, omninò dubito. Oritur poſthac ipſi, mediâ in fronte, tuberculum, triduoque poſt Febris horrifica, cum tumore ſiniſtræ frontis, palpebrarum, genæque ejuſdem lateris, tumque puſtulæ, quales ſupra deſcriptæ, omnia loca dicta exactè implentes, ſed ultra mediam faciei lineam minimè excurrentes.

Curatio hîc varia fit. Optima Methodus eſt venam ſecare, & curam antiphlogiſticam reliquam inſtituere, tum loci affecti curam habere peculiarem. Suppurant puſtulæ, ſponteque aperiuntur, ac manent diu apertæ, cavæ, mag-

næ, pure manentes, triduo, quatriduo, imò nonnullis per 14. dies. Ipsi porrò loco affecto complures Medici & Chirurgi sacculos applicant, aut emplastra; rebus siccantibus, adstringentibus, saturninis, composita; omnium maximè emplastrum defensivum cæruleum, aut unguentum nutritum. Hinc quidem illi has pustulas maturiùs exsiccant, sed simul ita rigidam totam plagam reddunt, ut illa deinceps motui exercendo, ferendoque, inepta sit. Est enim morbus hic vera cutis, subject que panniculi adiposi inflammatio, ac suppuratio: quæ si, antiphlogistica cura reliqua adjuncta, mollissimis sive fomentis, sive cataplasmatibus, tegatur, diuque etiam post exsiccationem pustularum tecta servetur, ac tandem emolliente unguento diu posthac fricetur, partis affectæ perfecta sequitur & obsequiosa mollitudo; ita ut nihil vitiosi posthac in motu supersit: è contrario verò rerum siccantium adplicatione pustulæ justo citiùs siccantur, cutis cum subjecto panniculo adiposo sicceſſit, indurescit, accressit musculis, & motum posthac difficilem ac dolorificum experitur: ita quidem ut Junioribus hæc rigiditas annorum lapsu ut plurimum emendetur, Adultioribus ve-

rò in ſummum uſque ſenium inemendabilis perſeveret.

Mirabitur fortè quis poſt univerſalem febrim Naturam uno tantum corporis in latere exanthemata producentem; ſed quod hîc, id alibi frequenter facit. Febris univerſalis prægreditur, & ad unam parotidem, ad unam coxam, ad unum brachium, pedemve, tota vis morbi, ejuſve materies defertur. In univerſali Scorbuto uno in crure ulcus, imò fonticulus, liberat aliquoties totum fere corpus. Et omnes illæ Criſes κατ' ἐξιν Veteribus dictæ, quid aliud denotent?

Additamentum alterum, a deòque

§. VIII.

Conſiderandum tandem Exanthema quoddam malignum, eorum in Corpore quibus vel à pure corrupto, detentoque, vel ab urinâ intra maſſam ſanguineam in Iſchuriâ ſpuriâ retentâ, putredo ingens naſcitur. Maculæ rubræ oriuntur, unum, duos imò digitos latæ oblongæ, irregulares, æquabiliſſimè elatæ, ut totæ quantæ ſupra reliquam Cutis ſuperficiem eminere appareant. Pluries eas vidi; ſemel in Noſocomio in

Calculoso demonstravi: totum corpus successivè rapidèque explent, & intra unum, alterumve diem, saltem quoad ego observare potui, mortem prænuntiant.

DIVISIO VII.

Septima Divisio eas continet febres, quæ non, ut Natura ipsarum indicare videtur, tractandæ sunt, verùm ut Febris Stationaria, eo tempore sive grassans, sive paulò ante grassata.

Sydenham & *Huxham* hîc sunt accuratè legendi. Ac primò quidem secundum *Sydenhamum* Febres *Stationariæ* semper sunt considerandæ dum Febres *Intercurrentes* curandas suscipimus. *Sydenh.* sect. 6. cap. 1. Stationarias febres eas vocabat, quæ tempore notabili plures ejusdem regionis incolas successive invadebant, ut erant v. g. sect. 5. cap. 3. Morbilli. Febris autem intercurrens tunc quosdam tantummodò afficiens, erat Continua putrida. Hanc porrò qui ut communem Continuam putridam tractabat, infelix erat. Et quid ita? Hæc Synochus putrida non ferebat, sanè contra genium suum, Venæ

ſectionem & Enemata. Cur autem non ferebat? Quia morbus Stationarius, ſive Morbilli, contra conſuetum Morbillorum morem, hæc repudiabant. Igitur licet febris intercurrens longè & immanior & diuturnior eſſet, tamen quia Stationaria febris V. S. & Enemata non multum ferebat, ideò nec intercurrens Putrida Synochus.

Sect. 5. cap. 5. Stationaria eſt febris Continua, ſed ejus genii, ut vix unam ferret, alteramve V. S. Intercurrens morbus Pleuritis eſt, eo quòd repentinâ aëris mutatione materies ſtationariæ febris ad pleuram & pulmones deferretur. Quod nunc attendendum maximè erat, aliis in pleuritidibus uſus frequens *Sydenhamum* docuerat eaſdem rariùs, niſi 40. unciis ſanguinis detractis, curari; at verò in hac Pleuritide Venæ ſectiones copioſiùs inſtitutæ, quàm Febris Stationariæ Natura ferebat, Pleuritidi huic nocebant cum maximè.

Imò intercurrens morbus, quæ vel Febre carere videbatur, vel eam, ſi haberet, non niſi per accidens habebat, erat tamen, quod mireris, non, quem ſimulabat, Morbus, ſed ipſa, quæ regnabat, quæ Stationaria erat, Febris. Dubitabimuſne? Docuit experientia magnum

magnum Virum Dyſenteriam annorum 1669.... 1672. talem propriè dictam non eſſe, ſed ipſam Stationariam febrim, ad Inteſtina verſam, &, niſi ut talis tractaretur, calamitoſam.

Anno 1668. obſervabatur ipſi Dyſenteria, excipiens febrim, quam vocat, Varioloſam; ideòque neutiquam ut Dyſenteria, ſed tanquam ipſa febris Varioloſa, curanda; materie ſcilicet febris ad Inteſtina modò verſâ. Sola igitur cura Antiphlogiſtica huic Dyſenteriæ curandæ apta nata erat. » Cum verò alia, » inquit, longè diverſâ methodo tractaretur, ſive exhibitis Rhabarbaro, » aliiſque Catharcticis lenitivis (ad de» turbandos ſcilicet mordaces illos ſuc» cos, qui Inteſtina ad hujuſmodi ex» cretiones putabantur irritaſſe) ſive » etiam Adſtringentibus, *ex levi ſuâ* » *Naturâ morbo, in exitialem ſæpiſſimè* » *evaſit.* Ut qui eo anno concinnaban» tur, diem obeuntium Indices, plus ſa» tis teſtantur.

Et Sect. 5. Cap. 2. Febri Comatoſæ dyſenteriâ, & nonnunquam diarrhoea ſucceſſit. Judicat illicò ex curâ morbi non eſſe, ut ait, originalem dyſenteriam, diarrhoeamve, ſed talem, quæ originem ab eâdem materie duxe-

rat, unde Coma natum: ſymptomaticam porrò febri comatoſæ tantummodò exiſtere; licet ſæpè, ut in verâ dyſenteriâ, excretiones mucoſæ, ac ſanguineæ, ingenti cum dolore prodirent. Unde etiam cura comatoſæ febris, V. S. Paregorica, & Evacuantia, hanc dyſenteriam diarrhoeamque curabant.

Vide hîc etiam *Huxham* ſuper dyſenteriâ anni 1743. quam credebat ſymptomata duntaxat eſſe regnantis febris catarrhalis, materie jam ad Inteſtina converſâ. Unde etiam in eâdem V. S. opus.

Facilè quiſque per ſe videt has obſervationes, eiſve ſimiles, ſummæ eſſe neceſſitatis, atque utilitatis; ſed ſimul cujuſque Medici non eſſe, veram earum determinationem. Multâ hîc patientiâ, copioſâ praxi, limato judicio, opus eſt. *Expediret ſane omnes civitatis totius, aut regionis Medicos amicitiam, in Publici utilitatem, mutuam colere, mutuas ſecum obſervationes communicare, & ſic demum ſalutares praxeos regulas condere.*

Ex omnibus his liquet quàm injuſtè ſæpè Medici morbo adſcribant, cauſiſve occultis, difficilem dyſenteriæ curam; ignari, aut immemores ſaltem, ſalutaris hujus praxeos regulæ. Taceant ad hæc omnes ſpecificorum con-

tra dyſenteriam jactatores inanes! Quodque de dyſenteriâ dicimus, id de quocumque intercurrente morbo dicere debemus.

Sed practicè hîc aliquid addendum eſt. Quamvis hæc dicta in genere ſic ſe habeant, neceſſariaſque praxeos regulas forment, ultrò tamen fatemur omnes has leges, ut paſſim alibi, ita & hîc ſuas pati exceptiones. Inter plura alia, quæ me hujus convicere, fuit Epidemica Conſtitutio *Hagana* anni 1747. Febres Epidemicæ graſſabantur, anomalæ prorſùm ac verè malignæ. Cum inſigni debilitate & inchoabant & perſeverabant. Urina plurimo tempore ruberrima erat, nonnullis tamen ſubinde etiam pallida, omnibus pauca. Multis Præcordiorum anxietates & oculi flavi; paucis quibuſdam excrementa alba & urina icterica. Omnibus verò aderat Nauſea, Vomitus, multis verò dyſenteriâ, eaque haud rarò cruenta. Atque haud ſanè paucis Ptyaliſmus adfuit plurium dierum continuus & copioſus; ut viderim qui ſpatio Nycthemeri pintam ſalivæ redderent. Non poteramus hanc febrim, ob Ptyaliſmum, ad Varioloſæ ſpeciem referre, ut ſuam cum Ptyaliſmo appellabat *Sydenham*; nam ab octo retrò men-

sibus vix Variolas Morbillosve civitas viderat. Aderat aliis Angina Synanche, & his quidem febris principio, illis in fine. Nonnullis Aphtæ euntes, ac redeuntes, nihil allevantes. Insomnia, aut datis, aut non datis opiatis, ferè perpetua.

Quod ad curam attinet, V. S. paucos admodum juvabat, lædebat multos. Nil profuere Emetica, etiam repetita; nihil Purgantia: & licet actionem horum Paregorica mitigabant, morbus exasperabatur. Acida, ut Rob varia, Tamarindi, ad bilem putridam indicati, nihil opis afferebant; uti nec salia neutra. Dysenteria hinc maximè exasperabatur. Paregorica vix unquam unius horæ somnum, liberaliùs etsi data, producebant. Durabant hæ febres 2. 3. 4. imò quando que 6. & 9. septimanis, sine diebus indicibus aut criticis observatis. Ita ut planè æmularentur febres illas ἀκρίσιμους, de quibus *Hipp.* Epid. 1. pag. apud *Foës* 941. & 945. Tum & Epid. 3. Sect. 3. pag. 1085.

Experientia demum docebat nullos aut tolerabiliùs, aut breviùs ægrotare, quàm quibus decocta totius Althææ, & cætera involventia atque obtundentia à principio dabantur, diutiusque continuabantur; interea dum, injectis similibus enematibus, venter conti-

nuò emolliente Cataplaſmate involveretur. Plures moriebantur, & reconvaleſcentes ſemel iterumque recidivas patiebantur. Cogitatum ſæpiùs de Cortice dando; ſed affecti Hepatis ac ſyſtematis bilioſi metus prohibuit. Contagioſa certè febris fuit, multos iiſdem in ædibus, vel eos, qui aliis ejuſmodi ægris aſtiterant, ſucceſſivè impetens.

Cum Febris hæc aliquantiſper ſtationaria fuerat, oboriebantur Dyſenteriæ, Scarlatinæ, & Anginæ, eæque ſimul & frequentes, & contagioſæ; omnium autem maxime Dyſenteriæ: ita ut integræ familiæ, vel una, vel pluribus harum, afficerentur. Scilicet unus horum trium morborum invadebat iiſdem in ædibus plures, vel omnes hi tres morbi ibidem varios promiſcuè affligebant.

Porrò quod res eſt, Dyſenteria hæc irritabatur Emeticis ac purgantibus, licet opiata horum turbas ſopirent. Rheo, Myrobalanis, deinde Adſtringentibus, imò cortice Simarubæ, plures curati viſi, relapſi ſunt, & haud pauci interierunt: ſola autem demulcentia & involventia ore aſſumta, ano immiſſa, ventri adplicita; id eſt remedia, quæ febrim ſtationariam curabant, etiam Dyſenteriam hanc, ſpatio paucorum die-

rum, aliquoties autem plurium, imo 14. dierum, perſanabant.

Atque hâc in parte lex ſupra deſcripta citra exceptionem erat. Angina verò & Scarlatina, curam tum febris Stationariæ, tum Dyſenteriæ, planè reſpuebant; quod ideò mirabile, cum unâ materie, ſed diverſa loca afficiente, tam ſtationaria febris, quàm tres hi intercurrentes morbi naſci viderentur. Deponendum erat igitur totum hoc Ratiocinium, & Naturæ veſtigia unicè legenda. Niſi purgans ſemel iterumque, cum his emollientibus, in principio daretur, Scarlatina maligna fiebat, & vel magnâ cum moleſtiâ ſuppurabat Angina, vel Parotidem generabat minimè criticam. Parotis hæc indurata vel mortem denuntiabat, creſcens, intumeſcendoque ſubjecta comprimens; vel poſt longam infirmitatem dura permanebat. Diſcebamus hanc obſervationem, tum propriis conaminibus decepti, quando hos binos morbos, ut ſtationariam Febrim, & ut intercurrentem Dyſenteriam, urare annitebamur; tum exemplis pauperum, qui pluribus diebus ſub uſu emollientium cum Anginâ, vel Scarlatinâ luctati, demum ingraveſcente morbo Medicorum opem implo-

rabant. Mutantes igitur noſtram Methodum, metuebamus primò ne purgatione alvi materies à faucibus, vel à ſuperficie corporis, ad Inteſtina deducta, Dyſenteriam crearet; ſed nemini tamen id contigit: fortè quòd purgantis actione materies tam citò de corpore expelleretur, ut tempus Dyſenteriam creandi non haberet.

DIVISIO VIII.

Omnes febres continuæ putridæ, continuæ remittentes, etiamque Inflammatoriæ, dividuntur in Malignas & Benignas.

Benignas vocamus, quæ & conſuetis ſtipentur ſymptomatibus, & conſuetis pareant auxiliis: *Malignas*, quas inſolita ſymptomata, eaque prava, comitentur; quas conſueta auxilia imò & multa alia inſueta, nedum non levent, ſed potiùs exaſperent, quæque demum multos perimant.

Aſt verò morbum malignum declaraturi primò attentè conſideremus, an fortè Morbi hi, anomalis ſtipati ſymptomatibus, de naturâ Stationarii haud participent, eamdemque ob cauſam ſymptomatibus varient: ſecundò, an per-

verſa medicandi ratio febris naturam non inverterit.

Patet iterum neceſſitas, & emolumentum, cultæ mutuò inter Medicos ejuſdem urbis regioniſque amicitiæ. Pluribus oculis tunc quiſque videns, ad propoſitam queſtionem exactiùs reſpondebit. Id eo magis uſui veniet, ſi de malignitatis Naturâ *ſuprema Poteſtas* inquiſiverit. Omnium ſanè examine & concurſu Reſponſum juſtum, atque per omnia conſtans, dari tunc poterit.

DIVISIO IX.

Hæc eos ſpectat morbos, qui nihil minùs, quàm febrim redolentes, tamen reipſa & febres ſunt, & ut febres curandi ſunt.

Obſervatio hæc tanti momenti eſt, ut ejus ope id genus morborum facilè paſſim, feliciterque curetur; ejus verò ignoratione ſæpè letale fiat.

Clari in arte viri *Sydenham*, *Morton*, *Huxham*, detexere Apoplexias, Pleuritides, Colicas, uno verbo omne genus inflammatiorum morborum, eorumdemque letalium; quos tamen nulla febris ſigna concomitarentur, excepto fortè nonnunquam lateritio in urinâ

ſedimento : qui ipſi morbi paroxyſmis repeterent, inque aliquo paroxyſmo occiderent. Contingebat v. g. ut homo forti Apoplexiâ corriperetur, arceſſituſque Medicus quid ſperare vix auderet ; facturus tamen, quæ artis eſſent, venam ſecaret, emeticum *Anglico* more porrigeret, veſicantia admoveret, & planè lætus atque ovans, totam illam fortem Apoplexiam intra unius diei ſpatium, devictam cerneret. Exultante cum ægro familiâ totâ die altero, en jam nova Apoplexia ad tertium diem hominem petit ; quæ priori methodo denuo adhibitæ cedere fallò credita, demum die 5. vel 7. vitam aufert.

Unde egregius *Morton*, Libr. *de febr. interm.* cap. 9. » Inter innumera illa » ſymptomata, inquit, haſce febres » (intermittentes) comitari ſolita, nul» lum eſt, quod non adeò vehementer » aliquando ſæviat, ut & vita ægri in » præſens diſcrimen adducatur, & ty» pus febris in variis ſuis ſtadiis, algo» ris, caloris, ſudoris, abſcondatur pe» nitus & opprimatur : ita ut neque ex » urinâ, (primis ſaltem paroxyſmis) » temperie, pulſu, vel alio quoque ſo» lito modo, diſtingui poſſit ; verùm » ſub larvâ algoris funeſti, vomitionis

» indefinentis, diarrhœæ torminoſæ,
» choleræ morbi, hemicraniæ periodicæ,
» apoplexiæ, ſyncopes, rheumatiſmi,
» ſpaſmi univerſalis, pleuritidis, peri-
» pneumoniæ, doloris lateris punctorii,
» vel alterius morbi ſecurè deliteſcens,
» Medicum à ſuo ſcopo non rarò abducat.
» Symptomata quidem interea reme-
» diis propriis, ſed incaſſum tentantur.
» Nam poſthabito fermento febrili,
» proximâ efferveſcentiæ periodo priora,
» aut deteriora ſymptomata, inexpec-
» tatò recrudeſcunt, Medicus *Siſyphi*
» *Saxum volvit*, atque æger vitæ dul-
» ciſſimæ diſpendio, aut ſaltem magno
» ſumptu, ignorantiæ vel incuriæ Me-
» dici pœnas ferò luit.

Sydenham Epiſt. Reſp. 1. » Hîc au-
tem, inquit, » commemorare libet,
» quòd ſub primos hujus conſtitutionis
» annos ſymptoma quoddam inſigne fe-
» bribus intermitentibus quandoque ſu-
» perveniret. Nempe earum paroxyſmi
» non cum rigore & horrore, quos poſtea
» febris excipit, invadebant, ſed æger
» iiſdem plane ſymptomatibus tentaba-
» tur, ac ſi apoplexiâ verâ laboraſſet;
» quæ tamen nihil aliud eſſet, utcum-
» que hunc affectum æmularetur, quàm
» ipſa febris caput impetens: ut ex aliis

» ſignis, ita ex colore urinæ ſatis liquebat, quæ in Intermittentibus, ut plurimum, rubore ſaturato extat. Qualis » cernitur in urinâ eorum, qui ictero » laborant, etſi non adeò intenſè rubet, » & pariter ſedimentum deponit, pulverem laterum ferè referens ».

Intereſt cum maximè hos morbos cognoviſſe, cum pluribus apud *Mortonum* exemplis conſtet tertio quartove inſultu, hos varios nunc enarratos morbos occidiſſe ægrotantes. Ubi ergo febris non videtur adeſſe, & tamen gravia hæc ſymptomata, primo die curata, tertio die repetant, ſeriò cogitandum, an *Tertianæ perniciosæ* typus hîc non ſubliteſcat. In Cortice peruviano tunc unica ſalus. Monent *Morton* & *Sydenham*, urinæ aut rubræ, aut maximè lateritiæ, hîc attendere ſignum. Verùm plures intermittentes, præcipuè Vernales, & Tertianæ, ſaltem in principio, non habent ejuſmodi urinas; & dum eas expectamus, æger interea fortè perit. Unde optimus *Huxham*, tales febres advertens, Conſtit. anni 1737. ſignum urinarum expectare noluit, ſed mox malum ex repetitione notum cortice profligavit. Egregius *Laxemburgenſis* Medicus *Lauter* decem egregias curas hujus Febris Cortice perfecit. Igitur *Syden-*

ham & *Morton*, ſigna urinarum experti, corticem dabant: *Huxham*, cum id ſæpè fallere adverteret ad repetentes paroxyſmos eo remedio uſus eſt: ſed *Laxemburgenſis* Phyſicus, mortem altero jam paroxyſmo advertens, jure meritiſſimo Corticem dedit mox primo paroxyſmo præterlapſo, ubi ſemel Epidemiæ naturam detexerat.

DIVISIO X.

Febres comprehendit, quæ nullis toto in corpore ſignis, quæ febrim denotent, deprehenſis, adeòque ſano cum pulſu, citra ullam vel ſitim, vel laſſitudinem tamen in certâ quâdam corporis plagâ dolorem, pulſum frequentiorem, ad determinatas quaſdam horas habent, & periodicè redeunt.

Caſum in Noſocomio, annis abhinc quatuor elapſis, publicè demonſtravi. Senex à longo retro tempore violentem habet Cephalæam, determinatâ ſemper veſperæ horâ, ingenti moleſtâque cum pulſatione, cæterùm totâ die ſanus: quo autem tempore periodicus veſpertinus dolor aderat, pacatiſſimus reliquo in corpore pulſus, ſanitaſque vigebat per-

fectiſſima. Tutò, brevi, jucundè, paucorum dierum ſpatio curatus eſt Cortice peruviano.

Ill. L. B. van Swieten Comm. Tom. 2. pag. 534. 535. ejuſmodi febres plures deſcripſit, quarum una *Hemicranica* fuit, altera *Ophthalmica*, tertia *Brachialis*. Optimus *Morton* etiam obſervabat febrim ejuſmodi *Hemicranicam*, quam Cortice fugabat. Egregius *Tortus*, in doctiſſima ſua Therapeutice ſpeciali pag. 426. ejuſmodi febris intermittentis *Ophthalmicæ* meminit, adeo dolorificæ, ut *eminentiſſimo S. R. E. Cardinali* epilepticos minitaretur inſultus; quam ſimiliter Cortex peruvianus feliciter pepulit.

DIVISIO XI. ET ULTIMA.

Continebit febres nonnullas, quas nec ad certam ſpeciem referre, nec idoneo nomine appellare poſſum.

Egregius Præceptor *Boerhaave* Aph. 767. vetat in febre intermittente Corticem exhibere, ſi ſigna adſint internæ inflammationis. Cum Febres intermittentes nunquam inflammatoriæ audiant, hæc ita à *Boerhaavio* poni, paradoxi

quid habet. Inania tamen cum nunquam protulerit, casum hunc ipsi observatum fuisse necesse est. Et *Ill. Commentator* in hunc locum idem asseverat, rariùs quamvis, contigisse. Quin & Aph. 753. exponens, confirmat *Boerhaavii* observationem testimonio *Jacotii*, qui ter, eodem in anno, letalem abdominis suppurationem in febre tertianâ observasse se testatus est; ut etiam testimonio *Sydenhami*, anginas inflammatorias, à tertianâ oriundas, enarrantis.

Lapicida & Statuarius in *Hollandiâ* Curæ *Ill. Præsidis*, alius Medici, & meæ, anno 1743. suberat. Hîc Hemitritæâ tertii generis laborans, sævissimum lateris dolorem quovis die impari patiebatur, die verò pari minimè. Post 14. diem Tertiana septies adorta silebat; continua autem perseverans, in Hecticam brevi mutata adparebat: donec 30. morbi die rupto abscessu duæ Libræ puris ore rejicerentur, & sequentibus diebus ore, tanquam ex lagenâ, pus commodè effunderetur, tandemque usque ad 131. morbi diem continuis sputis prodiret: postquam homo vires, torositatem, & antiquam sanitatem penitùs recuperavit; sputo tamen modico, ac facili, posthac superstite.

Febrim tertianam *Vetula* patitur cum vehementi Abdominis dolore. Primo, ut & altero paroxyſmo, poſt lene purgans, enemata oleoſa injici curo, decocta emollientia præſcribo, totumque abdomen emollientiſſimo cataplaſmate involvo. Tertius nihilominus paroxyſmus bonam Vetulam è medio tollit. Veniam incidendi non nactus, conjecturando dico periodicum dolorem priore pleuritico adeò ſuperiorem fuiſſe, ut tertio jam paroxyſmo aut gangrænam induxerit, aut letales Convulſiones.

Udalricus Rumlerus Obſ. 94. apud *Manget.* Bibl. Med. Tom. 2. pag. 427. refert anno 1580. Magnum *Hetruriæ* Ducem ſimplici tertianâ inexpectato occiſum Similis caſus, ſed, ut patuit, hepate affecto letaliter.

Eſt utique contra Inflammationum naturam, ut uno die dolor ferociſſimus adſit, altero verò die nullus; dum interim ſuos ſive ſuppurationis, ſive gangrænæ, effectus proſequatur: ſed caſus analogi hîc vela ingenii contrahere jubent, & arcanas admirari Naturæ vias Apud *Cl. Hofmannum*, Med. Rat. Syſt. Tom. 4. part. 1. Sect. 2. Cap. 3. Obſ. 2. ſimile quidpiam æquè ſtupendum

legimus. Ad curam ſuæ Tertianæ Fæmina à Balneatore *grana octo vitri antimonii* accipiens, ſurſùm deorſùmque, febre accedente, vehementer evacuat: paroxyſmo ſedato, vomitus alvuſque ceſſant, ſola debilitas ſupereſt. Altero paroxyſmo ſponte ſurſùm ac deorſum ſe corpus evacuat: paroxyſmo abſoluto, præter debilitatem adeſt nihil. Tertio paroxyſmo violentiâ vomitus, & dejectionis, & doloris, moritur. In cadavere reperitur inflammatus ventriculus maculis nigris rubriſque obſitus; quo eodem modo duodenum annexaque ſe inteſtina habebant. Letifer autem pulvis intra rugas villoſæ ventriculi tunicæ irretitus deprehendebatur, Mira utique obſervatio! Ad cauſam tertianæ cauſa accedit, quæ febri ardentiſſimæ, ad mortem uſque continuandæ ſufficiat, typum tamen tertianæ non mutet. Cauſa adeſt evacuationibus ſurſum deorſumque in mortem uſque continuandis ſufficiens, ſemperque præſens, quæ tamen vomitum atque alvum, niſi vigente tertianâ, nunquam excitet, inflammationem interim, naſcentemque perficiat gangrænam.

FINIS.

ANTONII DE HAEN,

CONSILIARII ET ARCHIATRI

S. C. R. A. MAJESTATIS;

NEC NON MEDICINÆ PRACTICÆ

IN UNIVERSITATE VINDOBONENSI

PROFESSORIS PRIMARII,

DE

HÆMORRHOÏDIBUS

LIBELLUS.

PARISIIS,

Apud P. Fr. Didot, Juniorem, Bibliopolam, ad Ripam Auguſtinianorum, prope Pontem Sancti Michaëlis, ſub Signo Sancti Auguſtini.

M. DCC. LXIV.

Cum Approbatione & Privilegio Regis.

VIRO NOBILISSIMO

ILLUSTRISSIMO

GERARDO

L. B. VAN SWIETEN,

CONSILIARIO, ARCHIATRORUM

Comiti, totius per universam Austriam Medicinæ Præsidi, Bibliothecæ Augustæ Præfecto, &c.

S. P. D.

A. DE HAEN.

EX quo gratiosissimo AUGUSTISSIMÆ *jussu, tuâque gravissimâ commendatione, ad Medicinam per experimenta docendam admotus fui, id præprimis animo versabar, ut, præter universalem doctrinam medicam, eos potissimùm morbos examinandos suscipe-*

tem præ reliquis affligere perhiberentur. Obviam autem fuêre inter præcipuos malignitas, bilis, hæmorrhoïs. *His indagandis integro propemodum quinquennio occupatus, detexi demùm malignitatem latiùs proclamari, quàm par esset; morbosque malignos ipsos, toties hîc funestos, benigniores reddi posse, & longè rariùs lethales. Quibus proindè exponendis, varioque experimenti genere evincendis, in singulis tomis* Rationis Medendi *& præsertim in tertio, multam operam dedi: cui addere id quoque possem, quod læta deinceps experientia abundè posthac, quæ ibidem consilia dederim, confirmaverit.*

Quod autem secundo loco bilis in universum diceretur innumeris in morbis primas agere partes, id refutatione dignum non judicavi; visa enim mihi est accusatio à Medicastris duntaxat excogitata, qua in iis, quæ neutiquàm intellige-

bant, baptizandis, magiſtros ſe eſſe, apud imperitum vulgus probarent: hincque vulgi potiùs, quàm Medicorum, in ore verſari.

Cum tertio verò longè aliter comparatum eſt. Non vulgi vox eſt, ſed Medicorum tantùm non omnium, per omnes haſce, qua latè patent, regiones, hæmorrhoïdas inter quaſvis fermè cauſas morborum ſuas agere partes, ſuam conferre ſymbolam, ſui petere mereriique attentionem; ut demùm tota profectò Medicina hæmorrhoïdalis ſit. Animis altè radicata opinio, præterquàm quod pathologiam genuinam obfuſcet, reddatque incertam, etiam praxin pervertit, veras diagnoſes obnubilat, ac veluti necdum ſufficerent, quibus mortales conflictantur, calamitates, innumeros propemodum homines diræ ſervituti mancipat, ejuſque tyrannide torquet diu noctuque.

Si nunc volvam animo, quod

præclara noſtra juventus academica, Hippocraticè *docta*, *magno demùm in diſcrimine verſetur*, *ne praxin amplexa mente vacillet*, *ubi novum hoc*, *& ante finem ſæculi proximè elapſi ferè inauditum dogma*, *unanimi omnium propè Medicorum ore prædicari*, *propugnarique*, *intelliget*; *operæ pretium exiſtimavi veram hæmorrhoïdum tum theoriam*, *tum praxin*, *theſium formâ exponere*, *& typis evulgare*: *ut demùm illi ſuâ quique vice eaſdem defendentes*, *in conſultationibus quondam frequentandis haberent*, *quo ad datas quæſtiones*, *difficultateſque*, *reſponderent*.

Porrò hæc eò lubentiùs in me ſuſcepi, *quod meminerim*, *jam à primo meo hanc in urbem ingreſſu*, *amaras de hac Medicinæ perverſione*, *tuo ſapientiſſimo ex ore*, *me percepiſſe querelas*. *Hinc eò acceptiorem hanc meam tibi fore opellam arbitror*, *quod quum ea*;

quam accuratissimam de Medicina habes, idea; cum tuo, quo Europæ universæ inclarescis, antiquo splendori Medicinam restituendi, animo; tuâ denique cum voluntate, qua me Medicinam Hippocraticè *tradere, & quoad ejus facere possim,* Hippocraticè *amplificare jussisti, certo quodam modo conveniret.*

Hæc *nunc si probaveris, gaudebo; si simile quidpiam circa alias practicas quæstiones facere jusseris, obtemperabo: quum nihil magis volupe mihi esse possit, quàm tibi, nihil nisi publicum bonum, nihil nisi mortalium commoda, nihil demùm nisi Medicinæ incrementum, diu noctuque meditanti, ac spiranti, obedire, auxilioque esse posse. Vale; & me, quod facis abundè, amare ac fovere perge. Dabam Viennæ* 21. *Febr.* 1759.

ELENCHUS CAPITUM.

CAPUT I.

Anatomica & Physiologica Hæmorrhoïdum *consideratio.*

CAPUT II.

De Hæmorrhoïdum *causis.*

CAPUT III.

De Hæmorrhoïdum *utilitate ac damno.*

CAPUT IV.

De Origine Hæreseos circa Hæmorrhoïdas *natæ.*

CAPUT V.

Quæstiones practicas continens.

DE HÆMORRHOIDIBUS. LIBELLUS.

CAPUT I.

De anatomica & physiologica hæmorrhoïdum consideratione.

§. I.

HÆMORRHOÏDES, præterquam quod olim evacuationem sanguinis quamcunque, uteri solius hæmorrhagiam, fluorem album, mucosum ex extremi intestini recti vasis prodeuntem humorem, denique ipsa etiam vasa in fine recti locata significarent; usitatiore nunc significatione illam rubri sanguinis evacuationem designant, quæ de apertis recto in intestino vasis, altiùs profundiùsve hærentibus, profluere solet.

II.

Vasa hæc vel à systemate *venæ portarum* oriuntur, vel à systemate *hypogastrico*.

III.

Ita quidem, ut, si ex *hisce* sanguis fluat, illicò tota cruoris massa, copioseque, minuatur; lentiùs verò, minùsque, evacuetur systema venæ portarum: ex *illis* autem & citiùs, & copiosiùs, & directiùs, systema venæ portarum evacuetur; lentiùs verò parciùsque reliquorum vasorum systema.

IV.

Attamen quandam hîc affert varietatem communicatio mirabilis, quam rami arteriæ hypogastricæ habent, cum arteriis à mesenterica arteria inferiore oriundis: quam ipsissimam communicationem venæ utriusque systematis quoque observant. Hac quippe lege ex venis, hypogastricarum ramis, fluente sanguine hypogastrico, aufertur quoque resistentia sanguini systematis venæ portarum: & vice versâ, aufertur resistentia sanguini venarum hypoga-

ſtricarum, dum cruor exſyſtematis venæ portarum ramulis effluit. Videatur circa hæc omnia *Winſlow*.

V.

Quia verò, ſi fiat evacuatio ex ultima propagine venæ meſentericæ, aut lienalis, impetus columnæ ſanguinis directiùs gravitat in illum, qui eſt ad vaſis aperturam, veroſimile fit hinc magis depleri ſyſtema venæ portarum, quàm ſyſtema hypogaſtricum, lateraliter duntaxat communicans.

VI.

Verumtamen eſſe in cauſa ſpiſſitudo atrabiliarii cruoris poteſt, ut lentè is motus, vix aperturâ transfluat; interea que ſanguis ſyſtematis hypogaſtrici, naturâ fluidior, qua data porta ruat: quam eamdem ob rem atrabiliarius homo conſueto evacuationis hæmorrhoïdalis effectu penitùs caret.

VII.

Quin & ſanguis ex propria arteriâ impetuoſiùs ruens, venamque propriam ſubiens, ſuperare nonnunquàm poteſt tardiorem vim retrogradi ſanguinis venoſi, præ ſpiſſitudine vix ex-

tillantis; adeoque tunc arterioſus idem ſanguis ex aperura effluet, vix venoſo admiſtus.

VIII.

Verbo, quævis communicationes arteriarum venarumque, utriuſque hujus ſyſtematis, efficere poſſunt, ut nunc potiùs proſiliat floridus, immediatè ferè ex arteria profluens ſanguis, alio tempore ex venis exeat penè niger; & vice versâ ex venis floridior, ex arteriis obſcurior: prout eſt major in uno, quàm altero in vaſe reſiſtentia.

IX.

Imò nonnunquàm fluit directè ex ipſis arteriis ſanguis hæmorrhoidalis.

α. Ultimæ arteriolæ, rorem, mucum, ſmegma, hîc exhalantes, ut in utero, pulmone, & paſſim alibi, ita & hîc poſſunt anaſtomoſin pati, ut ipſos globulos rubros tranſmittant.

β. Poſſunt ipſe arteriolæ rubræ diapedeſin, ac diæreſin pati, quando ſanguis à corde veniens, nimiam offendit in venis hæmorrhoidalibus reſiſtentiam.

γ. Hirudines ipſæ, dum venis minimè turgentibus, ad evacuandas hæ-

morrhoïdas, adplicantur, æquè ſauciare arterias, quàm venas, poſſunt.

X.

Lienoſos citiùs, magiſque immediatè, hæmorrhoïdum fluxus juvat, ſi melancholicus humor ex iis vaſis effluat, quæ ex ipſa vena lienari ſanguinem, retrogrado motu, immediatè evacuant, quàm ſi hæ venæ modo ex meſenterica vena originem ducunt: alterutro porrò contigit modo; utrumque invenit, depinxit *Euſtachi*, *Tab.* XXVII. *Fig.* 2. & 4. Imò ex ipſo liene hæmorrhoïdales venas ortas *Weſlingius* vidit, *pag.* 31. Unde hoc tertio modo omnium maximè juvat.

XI.

Accuratiſſimum *Winſlow* in diſſecandis cadaveribus ſecuti, convincimur facilè inanitatis illius diſtinctionis, qua ab externis hæmorrhoïdalibus vaſis tam ſcrupulosè interna ſejungamus, & hinc varium ſcopum practicum veluti dirigere annitamur. Quippe & internæ arteriæ hæmorrhoïdales, ab hypogaſtricis ortæ, & externæ dictæ à meſenterica inferiore oriundæ, ita uſque ad recti finem pergunt, ut fluente in recti

margine hæmorrhoïde, nemo affirmet utrum ab hypogaſtricis ſanguis proſiliat, an à meſentericis ramis. Præterquam quod, præter omnia hæc vaſa, quæpiam arteria alia hæmorrhoïdalis in erna formetur, à ramo iliaco natium dicto, quæ licet interna ſit, tamen non recti modo finem, ſed & muſculos ani perreptat. *Vid. eumd. tom. 3.*

CAPUT II.

De cauſis hæmorrhoïdum.

§. I.

HABENT haſce hæmorrhoïdes cauſas. 1. Salutare naturæ molimen, quo illa ſuperfluo ſe ſuo exoneret, ut ſæpè & naribus, & aliis variis viis affectat; vel ut ſeſe expurget à melancholico ſanguine, qui in ſyſtemate venæ portarum moratus, varia corpori incommoda creat. Eſtque ſæpiùs uterque hic fluxus periodicus.

I I.

2. Eſt ejuſdem naturæ ſalutaris acutis in morbis nixus, ut coctam morbi materiam hac viâ eliminet.

III.

3. Acrimonia quæcumque ſanguinis, quæ, ut vaſa rodendo pulmonis hæmoptoën creat, ut eadem profuſis menſibus feminis ſæpè & perniciosa; ita & in aliis corporibus vel ſtimulo continuo, vel factâ diabroſi, fluxum hæmorrhoïdalem producet, vix integrè ceſſantem, aut enormiter ſaltem notabili tempore ſcaturientem.

IV.

4. Omnis hæmorrhoïdalium venarum compreſſio interna, externa; qua efficitur demùm id, ut corde pulſus ſanguis per arterias, ut fortiores, minuſque comprimendas, afferatur quidem, per debiliores verò compreſſaſque venas ſurſùm remeare nequeat; ut

α. Gravidus uterus, ultimis gravidatis menſibus, inteſtinum rectum, vaſaque proin hæmorrhoïdalia venoſa, maximè comprimens.

β. Partus difficilis, ita ut perlongo tempore infans has partes valde comprimat.

γ. Fœces duræ in ſegniore ventre pluribus accumulatæ diebus, inteſtinum rectum in ſaccum extendentes, venaſque prementes.

δ. Diæta ſicca, indigeſtilis, corpora maximè dura, ut nuclei ceraſorum, meſpilorum, prunorum, oſſicula animalium, copioſa farinacea non fermentata.

ε. Conſuetudo latrinis diutiùs inſidendi, qua fit, ut extrema recti putrido vapori expoſita, laxentur admodum, tumeantque.

ϛ. Prava conſuetudo ſocordium, aut occupatarum matrum, atque nutricum, in quibuſdam regionibus, qua infantes, ne conſpurcent ſeſe, magnam diei partem cogant ſellis inſidere perforatis; quod nocet tum ob cauſam ad *lit.* ε. dictam, tum ob totius recti relaxationem. Quippe inteſtino utcumque laxato & propendente, conſtringens ſe ani ſphincter, portionem inteſtini penduli intercipit, vaſaque comprimit; unde lapſu temporis diatheſis ad hæmorrhoïdas naſci poteſt.

ζ. Conſuetudo fœces diutiùs retinendi; qua ii præprimis laborant, qui vel nimiâ occupatione, vel deſidiâ, quamdiù poſſint, ſuas morentur alvos. Fœces hinc in colo, & præprimis in recto, colliguntur, accumulantur, rectum dilatant, premuntque ita, ut poſtmodum alvus nequeat, niſi ſummo cum niſu,

reddi. Hac porrò de cauſa venæ hæmorrhoïdales utriuſque generis preſſæ, neceſſariò intumeſcunt.

4. Inteſtini recti frequens, & aliquantiſper perdurans, prolapſus, ita quidem, ut ſæpiùs contracto ſphinctere ſtranguletur, unde venæ, arteriis faciliùs comprimendæ, hîc ſenſim turgent.

V.

5. Cauſa, à medicamentis, alimentiſque nonnullis, vi quaſi propriâ atque ſpecificâ, ad generandas hæmorrhoïdas aptis. Talis omnibus auctoribus *aloë* audit. Talis eſt *allium* apud *Foreſtum*, *lib.* 23. *cap.* 3. in ſcholio, &c. & apud alios alia.

VI.

6. Cauſa equitationi crebriori ac diuturniori debetur. An quod equitantibus oſſis coxygis extremitas ſic introrsùm premitur, ut poſtica inteſtini portio inde comprimatur? An quod ipſi ſæpe ſua excrementa, quantumvis prementia, retinere cogantur? An quod validè tranſpirantes, neceſſariò ex *Sanctorianis* ſiccam habere alvum debeant? An etiam quod, equo ſuccuſſore pluries vecti, totius trunci perpendicularis

pondere podicem violentè contundant ?

VII.

7. A ſuppreſſis menſibus, hæmorrhagiiſve narium, aliave quacumque evacuatione, ſive naturali, ſive præternaturali, impedita, imminuta. Ulcera ipſa, cacochymiam olim eliminare ſolita, ſi eadem minui, ſupprimique contingat, huc referuntur.

VIII.

8. A cauſa quacumque acri, irritante, in recto trahente moram, illudque debilitante, vaſa rodendo infirmante, teneſmos creante; qualem præ cæteris dyſenteria diuturnior generare ſolet.

IX.

9. A morbis vaginæ, ac veſicæ urinariæ, maximè circa ejus collum, principiumque urethræ. Veſicæ quippe ſcirrhi, abſceſſus, calculi, id quotidie demonſtrant. Unde demùm has nonnulli veſicæ hæmorrhoïdas appellant. Contingitque idem feminæ à tumoribus occupantibus poſtica vaginæ.

X.

10. A crimine omnium flagitioſſimo, contranaturali, vindictam in cœlum clamante, inter homines ne nominando quidem: de quo qui medicè noſſe quidquam opus habent, adeant doctiſſimi *Aſtruc* egregium de *lue venereâ* tractatum.

XI.

11. A frequentiore hirudinum ſuctu, inductaque conſuetudine huc verſus derivandi cruorem.

CAPUT III.

De hæmorrhoïdum utilitate ac damno.

§. I.

HÆMORRHOÏDES duas potiſſimùm tollunt plurimorum morborum cauſas, quarum alteram *plethoram* vocant, alteram *cacochymiam*.

II.

Ita *Hipp. lib. VI. Epid. ſect. 3. text. 28.* & *libro de Humoribus pag. 51. edit. Foës.* ipſiſſimis fere utrobique verbis:

» Qui hæmorrhoïdibus laborant, *in-*
» *quit*, neque pleuritide, neque peri-
» pneumoniâ, neque ulcere phagedæni-
» co, neque furunculis, neque ter-
» minthis, fortaſſe neque leprâ, for-
» taſſis neque aliis (ſive potiùs, for-
» taſſis neque alphis, vitiliginis gene-
» re) corripiuntur. Intempeſtivè au-
» tem curati multi, hujuſmodi mor-
» bis non longè poſteà tentati ſunt,
» perniciosè ſic habentes. Quemadmo-
» dum enim in aliis abſceſſibus, qua-
» les, verbi causâ, ſunt fiſtulæ, id
» obſervatur, ut aliorum morborum
» medelâ exiſtant, ita quoque eodem
» modo, quo hos morbos ſanant,
» etiam, ſi antea fluunt, eoſdem præ-
» vertunt. «

III.

In *Aphoriſmis* ſimilia habet. *Aph.* 3-30. Hæmorrhoïdas proprias iis deſcribit, qui jam adulti, morbis inflammatoriis maximè obnoxii hærent.

IV.

Aph. 4-25. » Sanguis ſurſùm qui-
» dem, qualiſcumque ſit, malum:
» (nempè vomitu cum febre, *Aph.* 7-
» 37. vel tuſſi ejectus; excipitur ergo

ſaluberrima ſæpè narium hæmorrhagia, quam pluribus in locis nedum condemnat, ſed ſummopere laudat) » deor- » ſum verò bonum, niger nempe ſubtùs » ſecedens.» In quem *Aphoriſmum* pulchrè *Galenus*: » Poſſumus quoque nigra » ſic accipere, quemadmodum ipſe in » *Epidemiis*, quum de hæmorrhoïdi- » bus ageret, uſurpavit, prout me- » lancholicis affectibus medentur. Nam » reverâ, melancholiæ jam factæ, ma- » ximum remedium eſt hæmorrhoïs » aperta; & ſimul eſt impedimentum » ne accidat quæ futura fuiſſet. »

V.

Aph. 6-11. » Melancholicis & ne- » phriticis hæmorrhoïdes ſupervenien- » tes, bonum. » Et 6-21. Inſanienti- » bus (maniacis) ſi varices, aut hæ- » morrhoïdes, ſupervenerint, inſania » ſolvitur.» Ex *Galeni* in hos *Aphoriſmos* *Commentariis* patet, ſanguinem melancholicum olim univerſum, jam conſiderari ut nunc, ſive ad hypochondria ſtagnantem, eademque infarcientem, ſive renes obſtruentem, ſive demùm opplentem encephalum. Quas omnes ob cauſas hæmorrhoïs proficua cenſetur, tum iis, qui melancholicos hu-

mores toto corpore circumeuntes gerant, tum quibus ii ad ſyſtema venæ portarum deponantur, tum etiam his, quos nephritis ab hac cauſa infeſtet, tum denique quorum hinc orta inſania. » Quare nihil mirum, ait *Galenus*, & » melancholiam, & nephritim curari » per hæmorrhoïdas, utpote quæ ſan- » guinis veluti fæcem vacuare ſoleant. » Imò ipſos calculos à fæce hac atrabiliaria, in renibus ſtagnante, baſin poſſe nanciſci, ad quam urinæ ſecretæ terreſtres particulæ adponant ſeſe, certum adparet.

V I.

Coac. text. 333. Dejectiones alvi nigras in caſu quodam condemnans *Hippocrates*, ſalutem ex hæmorrhoïdibus ſuccedentibus præſagit. » Quibus ex » crebrâ & profuſâ hæmorrhagiâ fre- » quens nigrorum dejectio eſt, indeque » ſuppreſſio, hæmorrhoïci fiunt hi cum » alvi dolore : ſed tamen cum flatibus » patientes doloribus. » Vide *Duret.* in hunc locum, pag. 196.

V I I.

Coac. no. 346. Ab hæmorrhoïde non ſatis diu, nec ſatis copiosè,

fluente, vertigines oriri ait, quæ paraplectici quiddam ominentur. Ob quam causam tunc phlebotomiâ vult parcioris hæmorrhoïdis defectum resarciri. *n°.* 336. de hæmorrhagia narium deficiente, & per venæ sectionem curanda, idem dicit.

VIII.

Coac. n°. 478. » Quæ apoplecticis » veniunt hæmorrhoïdes, salutares. »

IX.

Quid quod ipsis phthisicis nonnunquàm prodesse eas dicat? *Coac. n°.* 437. » Quæ phthisicis accidit sputorum sup» pressio, dementiam nugacem infert: » his spes est apparituram hæmorrhoï» dem. »

X.

Quamvis porrò plerique laudati hîc textus etiam de quavis hæmorrhagia intelligi queant, ut patebit, *cap.* V. *n°.* XII. cum tamen tanti sit usûs hæmorrhoïs, meritò scripsit *Hippocrates*, *Aphor.* 6-12. » Hæmorrhoïdas curanti » diuturnas, nisi una servata fuerit, » periculum est ne hydrops superveniat » aut phthisis. »

Rationem quippe dederat textu laudato *Epidemiων* dicendo: » Quemadmodum enim in aliis abſceſſibus, » cujuſmodi v. g. ſunt fiſtulæ, id obſervatur, quod aliorum morborum » medelâ exiſtant, ita quoque hæmorrhoïdes. » In quæ verba egregiè *Galenus*: » Intempeſtivè ſane hæmorrhoïdas curant, qui neque venam perio» dicè tundunt, neque purgantibus » aliorſum ducunt (δι' ὑπηλάτων: Vid. » *lib. de Ration. vict. acut. pag.* 387.) » neque per exercitationes corporeas » diſſipant, neque unam ſaltem ex » illis relinquunt, ſed omnes ſimul » tollunt. » An ergo *Galeni* mens fuit, non peccare eum omnes auferendo, ſi & venæ ſectione, purgantibuſque, materiem aliorsùm duceret, & exercitio corporeo hominem ita diſponeret, ut tranſpirando plethoram præveniret? Eſt certe in regulâ generali exceptio, ut mox liquidiùs adparebit.

XI.

Nam ipſe *Hipp. libr. de Hæmorrhoïd.* » Urere, inquit, ita oportet, ut hæmorrhoïdum nulla inuſta relinquatur, ἀλλὰ πάσας ἀποκαύσεις, ſed ut » ad unam omnes urendo auferas. »

Triplicem

Triplicem deinde methodum omnes auferendi tradit, igne, ferro, erodentibus. Sequiturque illum *Aëtius*, *Tetrabib.* 4. *ſerm.* 2. *cap.* 5.

Videtur omninò *Hippocrates* diſtinxiſſe inter hæmorrhoïdum genera. In *Aphoriſmis* locutus diſertè fuerat de χρονίαις (*antiquis*) hæmorrhoïdibus, quæ deſignarent inveteratam jam naturæ conſuetudinem, ſeſe hac viâ aut ſuperfluis, aut noxiis, exonerandi. In his igitur unam ſervandam eſſe jubet. Ubi verò recentes erant, moleſtæque eædem, & numeroſæ, conſiderabat topicum vitium occaſione natum, minimè verò ſalutare molimen naturæ: undè eaſdem cunctas eradicandas cenſet.

XII.

Ipſaque *Galeni* eſt eadem mens, clarè percipienda in *Comment. ad Aph.* 4-25. *Chart. tom. IX.* & *Comm. libr. de Humor. text.* 26 *Chart. VIII. pag.* 576. Ubi namque ultimo loco longè latéque de omnium ablatarum nocumentis diſſeruerat, apertè id de antiquis intelligere ſe oſtendit, de recentibus verò minimè. Undè ait: » Scire » tamen convenit, non ſemper boni

» consulendum esse, ut sanguis per
» infernas partes ex hæmorrhoïdibus
« effluat, sed tum denique, quum ni-
» gra excernuntur, & quum hominis
» natura multum humoris hujusmodi
» accumulat. *Alioqui* natura non est
» tali evacuationi assuefacienda; quip-
» pe quæ utrumque excessum pericu-
» losum habeat: tum quando sanguis
» ultra modum excernitur, tum quan-
» do ex toto cohibetur. Nam in im-
» modica vacuatione veremur, ne
» homo derepente moriatur, aut fiat
» hydropicus, aut cachecticus; con-
» trà verò iis, qui ex cohibitis nunc
» hæmorrhoïdibus sanguinem coacer-
» vant, secare venam oportet, ne in
» magnum aliquem morbum cadant. »
Patet igitur quo in homine omnes li-
ceat auferre, in quo verò unam opor-
teat servare apertam.

XIII.

Hinc facilè comprehendimus histo-
riam *Alcippi*, *Epid.* 4. *pag.* 1139.
» *Alcippus* hæmorrhoïdas habens ab
» iisdem curari vetabatur. Curatus ta-
» men fuit, sed simul insanivit. Fe-
» bris acuta succedens, maniam sol-
» vit. » Patet utique hæmorrhoïdas

apertas moleſtaſque habuiſſe *Alcippum*, nec ferre voluiſſe : dehortamento, ne auferri ſibi curaret, non auſcultaſſe, curatum autem in maniam incidiſſe ; à qua, non niſi fortunatâ admodum febre, liber evaſerit. *Alcippus* igitur ex iis non fuit, quibus *Hippocrates* integram hæmorrhoïdum curationem ſuaſiſſet, ſed eorum eſt ad claſſem referendus, quibus una aperta eſſet ſervanda.

XIV.

Intelligimus quoque quinam illi fuerint, de quibus *Galenus*, *comm. in text. 26. libr. de Humor.* » Quis tan-
» dem ignorat, inquit, pleroſque in
» melancholiam inſaniamque incidiſſe,
» hiſce excretionibus inſcitiâ Medico-
» rum ſuppreſſis ? Alii dolore lateris,
» alii renum vitiis correpti ſunt ; aliis
» accidit, ut ſanguinem è ventriculo
» vomerent, aut ex pectore tuſſi eji-
» cerent, aut paraplegiâ, aut hydro-
» pe oppreſſi, interirent ». Antiquos profectò hæmorrhoïdarios *Galenum* hîc præ oculis habuiſſe, ex iis liquet, quæ mox huic textui ſubdiderit, quæque jam ſupra laudaverim : » Scire
» tamen convenit, non ſemper boni

» consulendum esse, ut sanguis per in-
» ternas partes, &c. *Vid. Thes. XII, cap. III, supra, p.* 17. *&* 18.

XV.

Cæterum qui considerat quot, quantosque, tum acutos, tum chronicos morbos, sive plethora sana, morbosave, sive cacochymia peculiaris, olim evacuari solitæ, jam retineri cœptæ, necessariò debeant generare; ille minime mirabitur tot morbos, ab hac causa genitos, tum textibus enarratis enumerari, tum longè numerosiores adhuc posse recensèri. Nam,

1. pleuritis, peripneumonia, phrenitis, paraphrenitis, splenitis, hepatitis, gastritis, enteritis, nephritis, hysteritis, apoplexia, convulsio, tetanus, febris ardens, febris quæcumque, à solâ plethorâ suppressâ ducere originem possunt.

2. Phthisis à retento hæmorrhoïdum fluxu nasci potest; sive quod peripneumoniam, pleuritidemve, sequatur illa, sive quod ex nutritione nimiâ, exercitio non dissipatâ, nata fuerit; quam ultimam speciem frequentem ostendimus *Ratione Medendi, part.* 2 *&* 3. quamque sane hæmorrhoïs leva-

re posset, ut *Thes. IX, cap.* 2. habetur.

3. Hydrops oritur, quando stagnans plethora cacochymiam induit; cujusmodi exempla cachecticæ & hydropicæ feminæ nobis exhibent, post suppressam evacuationem menstruam.

4. Maniam, paralysin, similesque morbos, atrabiliaria spissitudo generat, prout ad encephalon, nervorumque sive origines, sive decursus, accubuerit.

XVI.

Hi ergo homines, qui quopiam horum morborum, ratione plethoræ, aut cacochymiæ, laborassent, jam largo hæmorrhoïdum fluore ab iisdem morbis degunt immunes, in quantum scilicet hi morbi ab hac causâ oriundi essent.

Equidem homines posse tamen in eosdem incidere morbos, vel indè manifestum fit, quod causæ sufficientes dentur, quæ in medio catameniorum, hæmorrhoïdumve fluxu, morbis acutis chronicisque producendis aptæ natæ sint.

Sane hæmorrhoïdum fluor nunquàm impediet, quo minùs homo in pleuri-

tidem incidat, quem curſu agitatum, rarefacto, eoque moto proindè cruore turgidum, copioſus gelidæ refecerit hauſtus, aut quieſcenti gelida afflaverit aura. Prætereaque exempla quotidiana ſunt cauſarum, acutos quæ generent morbos in puerperis, in virginibus, in hæmorrhoïdariis, ipſo ritè quamvis pergente fluxu. Quod ſi demùm tunc fluxus ſiſtatur, ſiſtitur quidem ille à morbo, non verò ille ſubſiſtendo morbum creavit. Ecquis practicorum pluries non viderit, quod aut fluxûs tempore, aut eo brevi prægreſſo, morbos hujuſmodi gignant motus, iracundia, vindicta, mœſtitia, vina, venus?

XVII.

Collatis igitur, interque ſeſe comparatis, antiquiſſimorum Medicinæ parentum tum ſententiis, tum obſervatis, adparet,

1. Hæmorrhoïdas vetuſtiores, conſervatæ eo uſque ſanitatis teſtes, nunquàm inculpatè auferri univerſas.

2. Hæmorrhoïdas recentes & licere, & oportere, aliorsùm ducere, niſi earum conſervationem natura apertè clamitet; ut v. g. eſſet obſervata primâ

vice hæmorrhoïs, quæ hominem illicò à diuturniore maniâ ſublevaret : cæterum propter periculum ſive ſuppreſſi, ſive imminuti, ſive nimiùm aucti, hujus fluxûs, hæmorrhoïdas impediendas, & curandas eſſe.

3. Hinc ſapientiſſimorum horum virorum ſententiam neutiquàm eamdem eſſe cum eâ modernorum, qui audacter aſſeverent, hunc fluxum viris æquè neceſſarium eſſe, quàm feminis menſes.

4. Adeóque antiquos hos patres non injunxiſſe Medicis ut quemvis morbum, ſeu plethorâ, ſeu cacochymiâ genitum, hæmorrhoïdum provocatione curare ſatagerent, ſed iis tantummodo, quas natura indicaſſet, viis, hæmorrhoïdales hæ fuerint, an aliæ quævis.

XVIII.

Nec aliter cenſuere celebres in arte viri, per varias Medicinæ ætates. Quamvis enim omnes ærumnas à cohibitis hæmorrhoïdibus patheticè recenſeant, haud tamen eas ita neceſſarias credidere, ut naturâ eaſdem non producente, arte tamen excitandas eſſe docuerint, utque cauſam difficilium morborum, harum tantummodo de-

fectui, tribuerint. Totum id, quod ex horum monumentis colligitur, unicè eò tendit, ut demonſtretur, ſæpiſſimè ſalutari molimine naturæ, hunc fluxum excitari, periodicéque reverti; ejuſque ſive retardatione ſive ceſſatione, quam aut ars medica, aut abuſus ſex rerum non naturalium effeciſſet, morbos gigni omnis generis, quamdiu cauſa, ob quam ſemel natæ hæmorrhoïdes eſſent, perſeveraret. Quo certè in argumento omnes totius orbis Medicos ſecum conſentientes habent. Videri hîc poſſunt *Sennertus*, *Sorbait*, *Riverius*, *Wepferus*, *Juncken*, *Sanctorini*, &c.

Ex his omnibus *Sennertus* audiatur, Germanorum Medicorum, 150. abhinc annis, facilè princeps, *tom. IV, pag.* 473. » Hæmorrhoïdes autem, » *inquit*, quatenùs tument, pertinent » ad morbos magnitudinis præter na» turam auctæ: ſi verò ſanguinem » præter naturam fundunt, pertinent, » ut *Galenus* ſcribit, (3. *de ſympt. cauſ. cap.* 6.) ad ſymptomata in ge» nere excretorum, toto genere præ» ter naturam. Neque enim omnium » hominum eſt ſanguinem his venis » effundere, ſed quorumdam... Ete-

» nim quanquam, quum moderatè
» fluunt, utiles ſunt, & à multis mor-
» bis præſervant; tamen humor, qui
» ad excretionem naturam ſtimulat, na-
» turali modo ſe non habet, neque
» ſanguis unquàm, niſi in feminis,
» ſecundum naturam excernitur. Et
Etmullerus, *tom.* 2. *p.* 144. » Quocum-
» que modo accidunt hæmorrhoïda-
» lia pathemata, omnia ſunt præter na-
» turam, quum hæmorrhoïdales affec-
» tus *naturaliter* nemini contingant,
» adeóque ſemper eorum affectus præ-
» ſupponunt ſtatum præternaturalem &
» morbidum. Hinc ſicuti mulieribus
» *vitio menſium* ſupervenire ſolent, &c.

XIX.

Quid, quod pravi ſucceſſus abundè nos de quorumdam Medicorum temeritate convincant, qua ad cogendum hunc fluxum naturam perpetuò laceſſitant!

1. Namque malè ſæpiùs videmus eorum ſuccedere conatus, dum, otiante plane naturâ, illi non piceum illum, qui forſan tota morbi cauſa, ſanguinem educunt, ſed eum, qui ex iliacorum vaſorum propaginibus floridior, vegetiorque, & quo homo miſer ma-

ximè indiguisset, profluit. Undè efficitur ut ille longè debilior, mœstior, magisque atrabiliarius reddatur. Quippe, ex *Thes. VI & IX*, *cap.* 1. patuit incertum 1°. esse, utram venam feriant hirudines, 2°. an non etiam vulnerent arteriam.

2. Summo ægrorum damno fit ut hypochondriaca passio cum materie haud satis ab illa, quæ citra materiem fit, distinguatur. Qua distinctionis ignoratione hypochondriaci sine materie coactis hæmorrhoïdibus pessimè multantur, ut posthac ab aliis, qui rectiùs sapiunt, vix queant emendari.

3. Scatent practicorum observata infortuniis, quæ oborta his, qui, Medico cogente, hæmorrhoïdarii redditi, demùm hunc fluxum aut minùs sufficientem, aut penitùs habuerint suppressum.

4. Ut omnes nimiæ hæmorrhagiæ vitam labefactare, hydropem creare, mortemque possunt, ita etiam hæmorrhoïdes. Undè secundum *Galenum* celeberrimus Venetorum Anatomicus & Practicus *Sanctorini*, *Tract. de Hæmorrhoïd.* » Si modum, *ait*, excedat, ita » ut nimia sit excretio, quot mor» borum funebres apparatus, quantum

» cruciatuum armamentarium ! »

5. Aliam calamitatum claſſem conſtituunt furores dicti hæmorrhoïdum, uvæ, mariſci, rhagades, ficus, diabroſis, inteſtini recti relaxatio & prolapſus, teneſmi; ad urinas, ſtranguriæ, dyſuriæ, &c. à quibus omnibus dolores ſæpè intolerabiles, aut demùm inflammationes, ſuppurationes, gangrænæ, ani fiſtulæ, hydrops, &c. Unde laudatus mox *Sanctorini* addit. » Hinc & hydropes, & cachexiæ, & » tabes, & fiſtulæ, & ulcera. »

6. Tandem præconcepta opinio ubique hæmorrhoïdas quærendi, id damni praxi intulit, ut vera cauſa dolorum in lumbis, in ano, in veſica urinaria, prætervideatur, homineſque, neglectâ verâ ærumnarum causâ, fruſtrà ad hæmorrhoïdas torqueantur. Contigit videre in praxi ſic diſpoſitiones calculoſas, ſic recti inteſtini inflammationes, relaxationeſque eſſe neglectas, neglectu ferè deſperatas eſſe redditas.

XX.

Quum ergo, ſecundum omnes artis principes, natura hunc fluxum in plurimis haud excitet; quum ſecundum eoſdem, univerſa ſana praxis prohibeat

homines, *Natura viam non monſtrante*, eidem aſſuefacere; quum denique multa incommoda & calamitates ejus occaſione contingunt; id apparet evidentiſſimum, quod modernorum praxis longè numeroſiores morbos creet, multoque plures mortalium reddat ægrotantes, quàm ex conſueto naturæ ordine ægrotare debuiſſent.

XXI.

Quare etiam ſecundum optimos Medicinæ antiſtites, hæmorrhoïdibus orituris, ortiſque, crebrò eſt reluctandum, quo diſpareant demùm. Quum enim aut fæces duræ, aut conſuetudines pravæ, aut recti prolapſus, reſve indigeſtiles, equitatio, graviditas, aut alia quæcumque occaſionalis cauſa, hæmorrhoïdum tumores, dolores, fluores, progenuerint, nec evacuatio hæc aliundè indicetur, ſtrenuè allaborandum eſt, ut evaneſcant.

XXII.

Adde, quod natæ dicto mox modo hæmorrhoïdes haud rarò vehementer nocere queant, ſi obſtructa & inflammata viſcerum, partiumque ab aorta deſcendente ramos accipientium, miſ-

ſionem ſanguinis potiùs ex adſcendentibus è corde ramis ſibi poſcerent. Quæ fortaſſis ratio fuit, quæ magnum *Wepferum* permoverit, ut ſcriberet, *lib. de morb. cap. pag.* 416. *obſ.* 104. » Certe » hæmorrhoïdum apertio, utcumque » ab Italis ſummè extollatur, in praxi » non illam opem fert, quam præſtare » multi pollicentur; quia ſæpè alibi » venâ ſectâ, laudabilior ſucceſſus con- » ſequitur. »

CAPUT IV.

De origine hæreſeos circa hæmorrhoïdas natæ.

§. I.

QUUM ſtabilita hucuſque doctrina per omnia notæ Medicinæ ſæcula, uſque ad proximè præcedentis finem, receptiſſima fuerit; quæ demùm tantæ in ſchola medica mutationis origo?

Alterutrum neceſſariò verum eſt: aut corpora humana legibus fuêre mutata ſuis; aut Medici, citra naturæ immutationem, doctrinam medicam, æternæ experientiæ innixam, turpiter mutaverint neceſſe eſt. Quum nunc

corpora iisdem prorsus, quibus olim, legibus regantur, necessariò sequitur damnosam in Medicina hæresin obtinuisse.

II.

Clarissimus *Stahlius*, vir si quis alius, in chemicis versatissimus, speculationibus autem in Medicina supra modum deditus, mutatæ hac in parte Medicinæ, non experiundo, sed speculando, extitit faber; quem mox schola ejus tota, in eaque principes *Junker*, *Alberti*, &c. secuti sunt.

III.

Suspectum vel ideò dogma, quod Cl. *Stahlius*, ut alibi passim, ita disertis, repetitisque sæpius verbis, in *Epistola* ad Cl. *Alberti*, Albertiniano *de hæmorrhoïdibus tractatui* in quarto præfixo, palàm fateatur, omnesque palàm fateantur *Stahliani* novum plane, insolitum, inauditumque, dogma esse.

Equidem stat laus sua, honosque, novis in Medicina observatis, quæ ejusdem pomœria extendant, illustrent obscura, dubia firment: sed ea jure vituperes, quæ nedum experientia na-

ta, ſed eidem penitùs adverſa repe-riuntur.

IV.

Quid ergo reſpondendum ad innumera experimenta, quibus clariſſimus novitii dogmatis auctor, ſchola ejus univerſa, ex eaque prodeuntes numeroſiſſimi tum aliarum regionum, tum præprimis Germaniæ Medici, hæmorrhoïdalem ſuam doctrinam ſartam tectam eſſe arbitrantur? Et inprimis quid de famoſa illa *colica hæmorrhoïdali*, quam *Stahlianis* imbuti principiis millies obſervent, curentque, interea dum alii, quibus haud licet adeò perſpicacibus eſſe, eamdem vix animadvertant?

V.

Reſp. Eſt colica quædam verè hæmorrhoïdalis, à niſu ſanguinis verſus vaſa hæmorrhoïdalia, orta; qualem etiam aliquoties feminæ ad ventura patiuntur catamenia. Quem igitur in modum feminæ aptis ad menſes provocandos auxiliis ab hac colica liberantur, ita & apta ad provocandas hæmorrhoïdas remedia hanc dictam colicam tollunt. De hac re omnes hujuſque conſentiunt practici.

Verùm ideò quamcumque feminarum colicam velle menſtruam adpellare, eamque, ut talem curare, eſt ſane feminas peſſumdare millenas.

VI.

Eſt igitur colica menſtrua, ſuis internoſcenda ſignis, cauſiſque, nonnullis per annos ad quoſque menſes ſolemnis, pleriſque rarior, multis ignota. At verò præter hanc colicam, mulieres frequenter colicam patiuntur à variis ſex non naturalibus rebus dictis, à ſpaſmo, à temperie, à phlogoſi, à materie rheumatica, quæ licet ſui quæque genii ſit, colicam tamen hæmorrhoïdalem mentiri poſſit incautis.

VII.

Quemadmodum nunc practici colicam in feminis à longè aliis cauſis, quàm à menſtruis, frequentiſſimè oriundam & norunt, & curant; à fortiore norunt frequenter eamdem in viris, curantque, aliundè quàm ab hæmorrhoïdibus genitam; quum longè rarior viris hæmorrhoïs, quàm fluxus menſtruus feminis.

VIII.

Quum proindè viri infinitò rariùs fluentes hæmorrhoïdas habeant, quàm feminæ menſes; quum feminæ colicos dolores, aliundè quàm à menſibus natos, millies patiantur; conſequitur neceſſariò id, ut qui centies & millies has hæmorrhoïdales colicas ſibi videre videantur, etiam centies & millies eaſdem ut tales, quales minime ſint, ſalutent.

IX.

Quippe confundunt communes morborum notities; nam dum colicæ nephriticæ, rheumaticæ, arthriticæ, pictonicæ, idque genus aliæ, inchoantes, iis adhuc, quæ veram ejus naturam determinent, ſignis carent, audacter hæmorrhoïdalem, quam nunc vident, appellitant: ſignis verò eam ritè determinantibus obortis, ineptè prorſum concludunt, ideò hanc determinatam colicæ ſpeciem oboriri, quod colica hæmorrhoïdalis ſuum non ſit ſortita effectum: quem ſi ſortita fuiſſet, hanc tunc occaſionem naſcendi alteri colicæ prærepturam fuiſſe.

Quare ad quaſvis ejuſmodi experientias, toties decantatas, cum lau-

dato ſupra *Sanctorini* reſpondeo: » Nec » mihi experimentorum myriades pro » hujus (hæmorrhoïdis) ſaluberrimo » uſu reponant. Sit experimentis fides! » At ſit cautum, alioquin difficilli- » mum, experimentorum judicium!

X.

Quid ergo ſtatuendum de *ileo hæmatitide*, *Hippocrati* deſcriptâ, *libr. de internis affect. pag.* 557. *edit. Foëſianæ*, quam veram, *hæmorrhoïdalem colicam* eſſe voluit cum ſuis *Stahlius*?

Eodem hercle modo, *ileus hæmatitis* eſt *colica hæmorrhoïdalis*, quàm eſt *inflammatio pleuræ*. Id utriuſque hiſtoriam inter ſeſe conferenti liquidò conſtat. Putrida diſſolutio ſanguinis, cum fœtore oris, cum gingivarum à dentibus abſceſſu, cum ulceribus crurum, cum narium hæmorrhagia, ſine ulla facta colici doloris mentione; ea ſane putridi ſcorbuti hiſtoriam aptè referret, niſi alacritas, magnaque ad ambulationes & exercitia promptitudo, contrarii quidpiam deſignarent.

Attamen ſi cum *Foëſio*, & *Charterio*, in ſuis ad hunc textum notis, cenſeamus hîc neceſſariò à omiſſum eſſe, quia adparentia crurum alia poſt alia ulcera,

quæ *Hippocrates* hîc deſcribit, promptitudinem ad exercitia prorsùm tollunt, tunc habemus accuratam ſatis *ſcelotyrbæ* enarrationem. Videte *Comm. ill. Præſid. ad* §. 1148. Quin & copioſus lactis melliſque uſus, radices betæ, folia cucumeris agreſtis, ſal, &c. haud ineptè videntur huic morbo curando ab *Hippocrate* adhibita; qui tamen adjecit morbum multâ medicatione indigere, imò aliquando non curari, ſed ad mortem uſque perſeverare.

Quo nunc jure morbum, ſic *Hippocrati* deſcriptum, colicam hæmorrhoïdalem appellent? Utique *Hippocratis* textus nullum ſymptoma colicæ recenſet; recenſet verò ſymptomatum ſeriem, quorum ne unicum quidem in colica adeſt. Quod ſi curationem reſpicias, dat plura, quæ certè in colica haud conveniant; & de ſollicitandis hæmorrhoïdibus, quod rei totius præcipuum caput eſt, ne meminit quidem.

Ut meritò concludam eos, qui præconceptas opiniones ineptis argumentis ſtatuminare cogantur, ſuæ ad probandum egeſtatis manifeſta indicia prodere.

X I.

Quid tamen judicandum de famosis experimentis *Lutetiæ Parisiorum* habitis, atque in *Thesi anno* 1750. ibidem propugnatis ? quorum hoc primum : » Novimus mulierem, ita ascite laborantem, ut ad paracentesin multoties celebrandam coacta confugere, curaretur ad tempus, non sanaretur : Ecce autem artem docente naturâ, curamque suspiciente, larga derepente advenit hæmorrhoïdum vacuatio, ægramque liberavit ad annos. » Historia quippe hæc quoddam hæmorrhoïdum privilegium clarè demonstrare videtur, quo privilegio ab ejusmodi se liberet morbis, in quibus secundum universas Medicinæ leges sanguinem profundere vetitum est.

X I I.

Resp. Haud scribitur ab auctoribus utrum huic feminæ hæmorrhoïdes quondam salutares affuissent, an verò vice tunc primâ comparerent ?

Si primùm ; dico, quandoquidem notante *Hippocrate*, *Aph.* 6-12. Hydrops à suppressis hæmorrhoïdibus nas-

ci poteſt, etiam fieri potuiſſe, ut fluxus hic reſtitutus hydropis attulerit ſanationem; idque in ejuſmodi potiſſimùm corpore, in quo *poſt paracenteſin, ſanitas adparuerit tam illibata, ut ad tempus curata* diceretur.

XIII.

Hinc *iterùm quæritur, quod in hiſtoria deeſt, qua natus de cauſa hydrops?* An à ſuppreſſis hæmorrhoïdibus, aut catameniis? An à diatheſi eò inclinante? cacochymiâ? cachexiâ? obſtructione?

Talis autem, cui à malis his ultimis cauſis natus, promotuſque, fuerit hydrops, non ſuſtinet tot paracenteſes impunè, neque dicitur *poſt ultimam adhuc paracenteſin ad tempus curata.* Nam ut rectè advertunt, expliſque confirmant, *Acta Ph. M. N. C. vol. 6. obſ. 60. & vol. 11. obſ. 29.* fluxus hæmorrhoïdum in hydrope, ab his ultimis cauſis nato, mortem acceleravit. Ergo non hinc, ſed à prima cauſa, nempe evacuatione hæmorrhoïdum aut menſtruorum ſuppreſſione, oriundus fuit feminæ hujus hydrops.

XIV.

Id si verum, omnes sensati medici, paracentesi factâ in tam bono corpore, mox in revocandas evacuationes animum advortissent, quo demùm corrigerent morbi originem. Quod si, his prægressis, forte quis foret corporis in cavo aut relictus, aut de integro collectus liquor, integritate absorbentium vasorum, resorptus is fuisset, communibusque corporis emunctoriis eliminatus.

XV.

At cura profectò hæc non solius fit privilegio hæmorrhoïdis. Idem quippe casus esse videtur, cujus meminit *Hippocrates*, *libr. de Vict. Acut. tex.* 39. de hydropico agens: » Si, *inquit*, » difficulter spiraverit, fuitque æstiva » anni tempestas, & virium robur ad- » sit, ex brachio sanguis mittendus » est. « In quæ verba sic commentatur *Galenus*: » Hic solus (hydrops) quum » incipit, eget interdùm sanguinis de- » tractione, quum scilicet ex retentio- » ne vel hæmorrhoïdum, vel mulie- » brium menstruorum, vel ex aliqua, » quæ ita plethorica sit, causâ, incepe- » rit. »

Eſt ergo hydrops, ſunt corpora hydropica, in quibus venæ ſectio conducat, auferendo veram, hydropem quæ genuerat, cauſam. Ergo & reditus cujuſcumque ſuppreſſæ evacuationis, hydropem producentis, ſive ea hæmorrhagia narium fuerit, ſive hæmorrhoïs, ſive catamenia, corpus tale ab hydrope curare valeret.

XVI.

Hucuſque reſpondi, vetuſtiores ipſi hæmorrhoïdas fuiſſe ſupponens, à §. XII. ad XV. Sed quid ſi totius vitæ primâ modo vice prodierint? Tunc ſignârunt vires in hoc corpore tantas ſuperfuiſſe, ut ſanguinis evacuationem innocuè tulerint; ſignârunt bonitate corporis vaſa, poſt ultimam paracenteſin, tam robuſta, humoreſque tam compactos fuiſſe, ut regenerandi hydropis cauſa defuerit, ac ſanguinis demùm fuerit promotus fluxus: hincque ipſas has hæmorrhoïdas, non curæ cauſam, ſed potiùs ejuſdem effectum, extitiſſe.

XVII.

Altera *Pariſienſis* hiſtoria feminam ſiſtit annorum 39. quæ aſthmate, hepatitide, nephritide, colicâ uno tem-

pore inteſtinali, alio hyſtericâ, laboraviſſet; ſimulque & à retropreſſa ſcabie, & hæreditaria arthritide, admodum malè haberet. Perhibetur venam ſecta toties, ut radius, carpus, pes, cicatricibus fœdati numeroſis, nullam ultrà admitterent venæ ſectionem. Hanc feminam auctorum theſeos alter infarctis abdominis vaſis laborantem vidit, pulſus habentem compreſſos, tumidaſque conquerentem hæmorrhoïdas. Quam proindè ob cauſam hirudines admovit. Hæmorrhoïdibus autem egregiè fluidis, crebróque conſpicuis, integram ſanitatem feminæ reſtitutam vidit. Nonne ſolæ hæmorrhoïdes hîc ad miraculum curârunt tot, tantorumque, vitia viſcerum; quæ hæreditariâ arthritide, repreſſâque ſcabie genita, obſtructione & inflammatione confirmata, reliquam artis opem conclamatam declaraverant?

XVIII.

Indicat tota hiſtoria feminam hanc nondum ex inflammationibus ſuppuratam, nondum ex obſtructionibus ſcirrhoſam, effectam eſſe; adeóque à frequentiore venæ ſectione aliquantillam tuliſſe opem; tum quia plethorica fuiſſe adparet,

adparet, tum quia Gallorum corpora frequenti ſanguinis miſſione à teneris aſſueta, ejus repetitionem crebriùs poſcunt : at verò, quod maximè notandum, ſyſtema venæ portarum, quod tam variis pathematibus ſingularem ſui depletionem toties indicâſſet, demùm aptam pandiſſe ſibi viam, qua magnam morborum cauſam eliminaret. Ut proindè hiſtoria hæc, æque parùm quàm præcedens hæmorrhoïdum miracula canat.

XIX.

Tertia in ſcenam prodit virgo hæmorrhoïdibus curata, poſtquàm aliquot ab illinc annis, retardato fluxu menſtruo, diris eſſet abdomini cruciata doloribus : ad quos ſedandos innumeræ quidem venæ ſectiones, fomenta, balnea, paregorica, aquæ tam martiales quàm ſulphureæ, at penitùs incaſſum, adhibita eſſent. Quum auctor intelligeret *à ſpiſſo, & viſceribus abdominalibus hærente ſanguine, univerſam ſymptomatum cohortem, ut plurimum, originem ducere*, animadvertit ſimul externarum hæmorrhoïdum, earumque quidem turgentium, adeſſe congeriem, quibus ſuaſit hirudines

adplicandas. Verùm anni ſpatio puella huic conſilio reluctata (mali admodum tolerabilis argumento) eidem tandem paruit, & quinquaginta circiter variis temporibus hirudines paſſa, convaluit.

XX.

Ut præcedentes, ita & præſens hiſtoria, quamvis fronte primâ rerum mirabilitate veluti percellit, nec miri, nec extraordinarii, quidquam continet. Imò attentè legenti abundè patet, & cauſam, & ſymptomata morbi, & ipſas hæmorrhoïdas cœcas, id innuiſſe, quod in ſyſtemate venæ portarum fons latitaret malorum, adeóque ſui expulſionem per hæmorrhoïdas manifeſtò indicâſſe.

CAPUT V.

Quaſdam practicas quæſtiones continens.

§. I.

AN homini, hæmorrhoïdas ex plethora quondam paſſo, jam, iiſdem aliquandiù non fluentibus, ægrotanti, cura debeat præcipua eſſe reſtituendi eaſdem?

Ex doctrina anteà data, pendet reſponſio ab examine quæſtionis, ejuſque diſtinctione. Vel enim homo plethoricus eſſe perſtitit, vel non perſtitit: Si plethoricus exiſtens, nunc ægrotat, jam vel naturam per cœcas hæmorrhoïdas, viam hanc reſerare apertè molientem, *percipit*, vel *minime percipit*. Si *percipit*, convenit indicatum naturæ ſequi, & provocare hunc fluxum; ſi *non percipit*, defectum hæmorrhoïdum, doctrinâ *Hippocratis* & *Galeni* inſtructus, venæ ſectione ſupplere debeo.

Requiſitam autem depletionem adeptus, auctor illi ero, ut victu moderatiore, ac debitis exercitiis id efficiat, ut plethoricus ultrà non fiat. At verò ſi ne plethoricus quidem ultra eſt, ceſſat plane ratio de hæmorrhoïdibus cogitandi: ceſſat conſideratio molliminum, quæ natura olim hac viâ fecerit. Morbus eſt mihi nunc, non ex anamneſi hæmorrhoïdum, ſed ex ſymptomatibus præſentibus, curandus.

II.

Quando melancholici, hypochondriaci, atrabiliarii, olim ab atra bile ægrotantes, fluentibus poſtliminio hæmorrhoï-

dibus convaluerint, jamque iisdem cessantibus, ægrotent; an non illicò reseranda hæmorrhoïs?

A bonâ quæstionis distinctione apta pendet responsio: si morbus est planè idem qui olim, ita ut, quæ nunc præsentia sint symptomata, à spisso venæ portarum sanguine nasci observentur, utique omnem navare operam oportet ad revocandum hunc fluxum. Sin autem idem homo, seu Naturæ, seu Artis ope, ab illa abdominali sarcinâ immunis vixerit, hæmorrhoïdibus quantumvis carens; ipseque præsens morbus nihil habeat cum atra bile commune; necesse est curare eumdem, non secundum antiqui, quo dudùm caruerit, morbi regulas, sed juxta præsentis ægritudinis medicandæ leges. Haud enim potiore jure huic restituerem hæmorrhoïdas, quàm quo ægro, quem quondam sudor à morte præservâsset, nunc in morbo à priore absimili, sudatoriâ medelâ curare vellem; quippe quod olim salutares potuit, nunc noxios posset provocare sudores.

III.

Quid si homo antiquitùs cum hæmor-

rhoïdibus ſanus, jam ſine iiſdem, primâ vice vitæ, melancholicus fiat? nonne ipſi mox illæ revocandæ? Urgere quippe hæc indicatio videtur, quum ab omni ævo, hos uſque in dies, toties deprehenſæ ſint huic morbo ſalutares.

Quid hîc affirmem, negemve, non habeo, niſi primo noverim qualenam ſit iſtud melancholiæ genus, quo nunc primâ vice laboret? Sitne ſpiſſo atrabiliario ſanguine, an verò merâ mobilitate ſolidorum, tenuitateque humorum, oriundum?

Si ab ultima cauſa; Medicus cogendo hæmorrhoïdalem fluxum, inſigniter peccat. *Primò* quidem, quod cuncta ejus molimina delicatiores hoſce nervos vehementer exagitent, morbique ideò tum ſymptomata, tum ipſam exacerbent cauſam. *Secundò* autem, quia hiſce ægris, niſi alii urgentiores morbi id expreſſè jubeant, nihil eſt evacuantibus perniciosius. Quantumvis enim nonnulli indè videantur principio levari, obſervantur tamen in pejus poſteà ruere: quum ſolidorum inertia, ac fluidorum tenuitas, (immane quantum!) indè augeantur.

Sin verò à cauſa prima; præprimis inquiram utrum illa, quam præſen-

tem morbi cauſam detego, ſpiſſa ſcilicet ac lenta humorum diatheſis, ſyſtema venæ portarum peculiari modo obſideat, an verò per univerſam humorum diſperſa ſit maſſam?

Si itaque maſſam totam infecerit, evacuantibus ex ſua natura minùs eget, quàm attenuantibus, atque immutantibus, aò arte peculiariter ad id deſtinatis.

Quia tamen etiam cacochymica plenitudo ſui nonnunquàm evacuationem poſtulat, qua nimirùm ſpatium bonis ſive alimentis, ſive medicamentis, concedatur, miſſio ſanguinis quocumque demùm ex vaſe fiat, ex æquo proderit. Si ex æquo proderit, quocumque fluat de vaſe, eo potiùs loco eamdem inſtituam, qui & commodiſſimus ſit, & paratiſſimus, & nullis poſthac incommodis obnoxius: neutiquam proïnde (*vid. cap. 3. Theſ. XII. XIX.*) ex hæmorrhoïdalibus.

Sed deprehendat nunc Medicus ſyſtema venæ portarum atrâ ſpiſſitudine infarciri, quid tum?

Reperiet idem ille Medicus naturam hæmorrhoïdas tumore, pruritu, dolore, indicantem, vel nihil horum. Si nihil omninò, dubiam hoc provocato

fluxu curationem ægro proponat; eo quod, si à remediis internis, si ab emollientibus, stimulantibus topicis, imò si ab ipsis hirudinibus, contigerit, ut vena hæmorrhoïdalis, mesenterica propago, dehiscat, juvamen ingens indè capturus sit; si verò hypogastricarum furculus, sperato sit frustrandus effectu (*vide Thes. omnes* 1. *cap.*) hancque observationem vide confirmantem *Ludovicum Mercatum*, *tom.* 3. *lib.* 3. *cap.* 17.

Undè ipsissima causa intelligitur, cur his ægris toties laudatæ hæmorrhoïdes non opitulentur? Et cur iidem homines uno tempore indè insigniter leventur, alio verò tempore nedum leventur, sed ægrius habeant? nam jacturam sanguinis non melancholici, sed fluidoris, impunè non ferunt.

Alia autem res erit si natura viam monstret, venasque inflaverit hæmorrhoïdales. Spes utique multò certior ægro datur fore, ut, arte naturæ conamini obsecundante, ingens morbi levamen percipiatur.

IV.

Si homo olim vel acuto, vel chronico

in morbo, criſin per hæmorrhoïdas habuerit, jam verò denuò acutè chronicéve laborat; an nunc iterùm eſt ad illas diſponendus?

Quum, quò vergit, natura eò ducenda ſit, ſi per loca convenientia, oportet eam & hîc ſequatur Medicus, ſi ipſa per ſe molimina edat, veluti denuò hominem hoc fluxu judicatura. Naturâ autem planè otiante, Medicus ſane haud meliore cum jure hæmorrhoïdas promovere ſataget, quàm ſi quaſcumque evacuationes criticas, olim prægreſſas, in cunctis, quæ poſtliminio orirentur, morbis, reſuſcitare repetereque, anniteretur. Sic igitur ſtultè ac ridiculè ageret, qui præſentem morbum vellet promotis curare ſudoribus, eo quod hi olim judicâſſent eumdem; aut eum ſanare purgantibus, quem alvus olim judicâſſet; ita contra artis præcepta is ageret, qui, propter criſin hæmorrhoïdalem quondam prægreſſam, hæmorrhoïdibus ægritudinem tentaret fugare præſentem.

V.

An hæmorrhoïdes ortæ quondam occaſione alvi ſegnioris, dyſenteriæ, equita-

tionis, graviditatis, medicamentorum, morborumque vaginæ, inteſtini, veſicæ, aliquid in poſterum pro tuenda valetudine, aut pro curando morbo, Medico indicent?

Ut aptè reſpondeatur, erunt omnes hi homines tres dividendi in claſſes.

Primò, habuere horum multi, explicatarum occaſionum unâ, hæmorrhoïdas; eâque evanidâ, nullum harum aut fluxum, aut tumorem, experti ſunt. In his nulla ratio eſt hæmorrhoïdas revocandi, quia nec unquàm anteà, neque poſteà, eas indicaverat natura. Ex *Theſi* igitur *XIX. cap. III.* is peccat in vera artis præcepta, qui citra aliam indicationem hæmorrhoïdas provocet.

Secunda claſſis eorum eſt, qui, ex una dictarum occaſionum, hæmorrhoïdas paſſi, eaſdem tumidas deinceps, dolenteſque, experiuntur. His itidem, quum natura illas indicaverit nunquàm, non erunt ullatenùs revocandæ, (*vide Theſ. XII. & XIX. cap.* 3.) ſed potiùs dolores ac tumores aptis auferendi auxiliis. Et ſi ipſis eſt detrahendus cruor, is eo ex loco ducendus, quem ejus, quo nunc laborant, morbi ratio eligendum ſuadet.

Tertia classis eos continet, qui aut plethorici, aut atrabiliarii, ex occasionali quidem causa, hunc fluorem olim adepti sint, sed tamen posthac, ablatâ, quæ illum produxerat, causâ, crebriùs repetentem, cum euphoriâ, perceperint. His utique sana praxis jubet hunc fluxum conservare, segniorem animare, revocare cessantem. Secùs qui fecerint, suisque tum venæ sectionibus, tum medicamentis, plethoram aut cacochymiam solvere, debellareque se posse arbitrentur, scioli sunt, naturæque non ministri, sed adversarii; ut evidentissimè demonstravit *ill. præses in comm. ad* §. 741. *&* 779.

VI.

Quid si feminæ gravidæ, aut lactanti, hæmorrhoïs fluat?

Evacuationes menstruas, ut gravidæ lactantesque, passim non habent, utque easdem, si habeant, illæ cum metu abortûs, hæ cum lactis imminutione, aut jacturâ, patiuntur; ita haud infrequenter utrisque, citra ullum aut sanitatis, aut functionis detrimentum, hæ evacuationes contingunt. Nulla proindè hîc regula generalis. Prudens

Medicus, omnem occaſionem, quæ menſes provocare poſſit, auferens menſes utriſque eſt permiſſurus, dum omnia ſigna eorum neceſſitatem, adeóque præſtantiam, evincunt; prohibiturus, ſi contrà. Ipſiſſima hæc regula, quid in harum hæmorrhoïdibus agendum ſit, definit. Optimos practicos evolventi, veritas horum comprobabitur.

VII.

An hæmorrhoïdes non perniciosæ, quæ cum catameniis alternent; ita ut altero 14. *die menſes, altero hæmorrhoïdes, fluant? Exemplum* Sennertus *habet*, tom. *IV.* pag. 473. *idem plures videre practici, vel & has unà cum illis.*

Ut non impedimus catamenia, quæ quovis 14. die redeunt; ut etiam non prohibemus eadem, ſi omni quidem menſe exacto, aſt duplo copioſiora, redeunt, dum junctam ſibi habeant illibatam conſtantemque ſanitatem; ut denique aut nimium, aut frequentiorem, quàm valetudinis ratio permittit, menſtruum fluorem, prudenti operâ imminuimus, ducereque ad juſtum moderamen annitimur: ita ſecundum eaſdem regulas de alternante, aut

simul contingente cum catameniis, fluore menstruo, judicaremus. Nec aliter *Sennertus* rem considerâsse videtur.

VI.

Quid faciendum, si feminæ juvenculæ, menstrui loco, flueret hæmorrhoïs? Aut menstruis ætate debitâ pro more cessantibus hæmorrhoïdes succederent?

1°. Fluor hæmorrhoïdalis, loco menstrui, in ejusmodi femina juniore, si maritata esset, præjudicium fœcunditati inferre posset. Quamvis enim proliferas matres noscamus, quibus nulli unquàm menses, nulla ferè unquàm fluxerint lochia; quia tamen feminæ magis secundum naturam est menses, quàm hæmorrhoïdas habere, & exempla sine mensibus fœcundarum rarissima sunt, si nunc hæc sterilis, & spem tamen perennandæ prosapiæ in se ferè unicâ collocatam haberet, theoreticè hîc concluderemus siccandam hæmorrhoïdem esse, uterumque reserandum: sed practicè hoc opus, hic labor foret. Quæcumque enim emmenagoga & aristolochica in arte vocantur, æquè hæmorrhoïdalem pellunt, quàm uterinum cruorem. Adplicati utero ad ca-

tamenia cienda cujuſcumque generis vapores, crurumque adhibita balnea, hæmorrhoïdas æquè provocant: miſſus denique vel ex pede, vel ex brachio, ſanguis, ex æquo utriſque prodeſt aut nocet. Attamen tentari poſſet, num ſectâ brachii venâ, adſtringentibuſque ad hæmorrhoïdas admotis, ſiſti demùm hunc fluxum contingeret, ac deinceps cura in uterum verſa menſes provocaret.

Et forte uſui eſſe exemplum poſſet, quod invenitur in *Eſſays and. obſerv. phyſ. and. liter. tom.* 2. *pag.* 403. *&c.* de menſtruis, medio in fluore à frigore ſuppreſſis, quæ demùm revocabantur, quando, poſt balneum vaporis, decem diebus adhibitum, poſtque purgans aloëticum, arteria cruralis idoneâ ligaturâ comprimebatur, pudendis interim aquæ tepidæ vapori expoſitis.

2°. Menſibus autem debitâ ætate jam ceſſantibus, ſi hæmorrhoïs ſuccedat, neceſſitatem hæc indicat evacuationis, ſive plethoræ univerſæ, ſive ſaltem uterinæ, & ultrà nihil. Nam ſi v. g. ceſſante menſtruo hæmorrhagias narium natura produceret, indicaret neceſſitatem phlebotomiæ faciendæ, ite-

randæque; haud narium hæmorrhagiæ promotionem. Eſt enim hæmorrhagia hæc, ſi criticas exceperis, infidum vel ideò auxilium, quod ſæpè aut parciùs, aut copioſiùs, profundat ſanguinem: quapropter practici tunc ſolent venam tundere, ut tutiùs omne ſuperfluum tollant. Quum nunc hæmorrhoïdes idem habeant, pejuſque periculum, quàm narium hæmorrhagia, omnis ratio militat pro auferendâ hac ſcaturigine, & aliis viis naturâ ſublevandâ.

Eſt porro reſponſio utraque hæc, ad duplicem quæſtionem data, ita intelligenda, ut ſi utriſque his feminis adeſſet atra bilis in ſyſtemate abdominali collecta, hæmorrhoïdalem fluxum utriſque fovere, ex *Theſ. V. cap. V.* neceſſariò deberem, ſi non ad fœcunditatem in priore, ſed ad ſalutem ambarum medicina peteretur.

Urgebit fortaſſis quiſquam hæmorrhoïdis præ aliis evacuationibus, in defectu menſium, præſtantiam, ex *text.* 522. *Coacarum*, ubi *Hippocrates* » ſalutare eſt, inquit, muliebria non » cohiberi: nam indè veniunt epile- » pſiæ, quibuſdam etiam longa pro- » fluvia ventris, ut arbitror: nonnul-

» lis etiam hæmorrhoïdes. » Imò ipſe *Duretus* videtur hîc hæmorrhoïdas ex hoc capite ſummis extollere laudibus.

Reſp. 1°. Ex toto contextu ſententiæ *Coacæ* videri hæmorrhoïdas potiùs in hoc caſu vituperandas, quàm laudandas eſſe; quia auctor ideò malum eſſe docet catamenia cohiberi, quod ex eo epilepſiæ, diarrhœæ, & hæmorrhoïdes, naſcantur. Ergo hæ ſunt inter pravos cohibiti menſtrui effectus recenſendæ. In *Batavis* puerperis obſervare aliquoties contigit diarrhœam pro lochiis: pernicioſa hæc in genere credita, tamen plures in vita ſervat, ſi vires benè conſervantur. Eſt revulſio hæc materiæ ab utero, inque inteſtina derivatio, bona, reſpectu interitûs alioqui ex ſuppreſſione oriundi; at verò ideò hanc puerperarum diarrhœam non laudamus, ut ſalubrem evacuationem, ſed conſideramus ut minus malum, quo quidem mors ſæpiùs præcaveatur, ſed nonnunquàm tamen acceleretur.

Huc referri poteſt textus *Coac.* 333. quem *cap.* 3. *n.* 6. jam recenſui: quo patet hæmorrhagias quandoque ſupprimi, & diarrhœam, dyſenteriamve oriri, imò hanc nonnunquàm iterùm excipi ab hæmorrhagia.

Hinc cum *Hippocrate* pronuntiamus malum esse cohiberi muliebria (vel etiam lochia) quia indè epilepsiæ, longæ diarrhœæ, & hæmorrhoïdes.

Verùm concedamus in hoc textu laudari hæmorrhoïdas, ut suppressorum mensium defectui, ac periculo subvenientes, an solarum harum id privilegium est ? minime.

Hinc 2°. *dico Hippocratem* in mensium defectu laudare omnem quâcumque demùm viâ factam vacuationem. *Aph.* 5-33. disertè ait » mulieri men-» struis deficientibus è naribus sangui-» nem fluere, bonum. » Quomodo *bonum* ? quia majus malum præcavet ; sed in se malum semper, quia contra naturæ ordinem. An nunc hinc concludam præstantiam hæmorrhagiæ narium, præ omnibus aliis ? Malè concluderem ; sed cum eodem saltem jure, quo alii in hoc casu prærogativas hæmorrhoïdas faciunt.

Rectè igitur in hunc aphorismum *Galenus*. » Quum multa sint loca, » *inquit*, per quæ vacuari queat, aliis » quidem omnibus sua quædam major, » minorque, inest læsio, sola verò per » nares evacuatio innoxia, quam nunc » laudat *Hippocrates*. Non tamen si qua

» alia comperiatur citra noxam eva-
» cuatio, propterea falsus est apho-
» rismus. Non enim quod sola per na-
» res vacuatio deficientibus bona sit,
» edixit, sed ipsam simpliciter com-
» mendavit, non addito, quod sola
» sit. Quod si quis eam, quæ per sedem
» fit, vacuationem ita affectis mulieri-
» bus utilem esse proferat, non apho-
» rismo reluctatur. Nonnunquàm enim
» *Hippocrates*, unico velut exempli
» gratiâ proposito, de similibus om-
» nibus pronuntiare videtur. «

Ex omnibus his liquet suppressis catameniis dari loca periculosa, ex quibus suppressus profluat sanguis; ut v. g. pulmo est: dari alia loca innoxia, ut sunt nares, hæmorrhoïdes, &c. quo eodem modo hîc innocuas pronuntiaremus venæ sectiones.

Quare laudandus optimus *Duretus*, dum, postquàm in explicando textu mox laudato *Coacarum*, fortè quid plus, quàm par erat, hæmorrhoïdibus videretur tribuisse, sic demùm concludit: » Estque hæc dianoea
» magistri ut doceat menstruales,
» quibus menstrua non respondent,
» non aliter vindicari posse ab illis
» symptomatis, atque periculis, quæ

» infert eorum ſuppreſſio, quàm per
» hæmorrhagiam, varices, & hæmor-
» rhoïdas : quamvis illa perfugia mu-
» lieribus non ſint naturaliter inſti-
» tuta, nec conſueta, ob eamque
» cauſam ſuſpecta. »

IX.

Si homo nunc ægrotans, qui vel nunquàm eſt expertus hunc fluxum, vel eaſdem ſive caſu ſive operâ naturæ, olim quidem, ſed multis ab annis neutiquam, paſſus eſt; ſi, inquam, ille, in præſenti morbo ſuo, Medico renuntiet ſe jam tumorem, pruritum, teneſmum, materiæ albeſcentis tenaciſque percipere fluorem : an hinc Medicus redditur certior de conatu naturæ per hanc viam indicato, eique obſecundare debet?

Cum debita diſtinctione *reſpondeo* 1. examinandum eſſe an morbus, qui nunc adeſt, reverâ talis ſit, quem hoc vacuationis genus aptiùs, certiúſque, ſanet, quàm quodvis aliud; ut v. g. eſt vena portarum atrâ bile infarcta.

2. Si acutus ſit præſens morbus, expendo mecum, an tempus ſit aptum, quo evacuatio hæc proſit; maximè ſi illam debeam ut criticam conſiderare? Novi enim quod, ſi die non bono,

natura videretur, aut alvo, aut ſudore, aut aliâ quâcumque viâ, criſin moliri, eam adjuvare haud liceret.

3. Novi quoties id contigerit, ut inchoans recti inteſtini prolapſus ſpeciem hæmorrhoïdis, intra compreſſam ani ſphincterem eminens, præ ſe ferat: ſcio quoties uvæ, mariſci, condylomata, criſtæ, fungi, & id genus alia, naſci incipiant, quæ hæmorrhoïdas mentiantur incautis: cognoſco demùm horum accretorum corporum pondere, irritatione; quin & relaxati, complicatique inteſtini rugis; materiem albam ac tenacem, quæ cum futuro hæmorrhoïdum fluore nihil commune habeat, exprimi ac profundi.

Ergo examino naturam morbi, morbi tempus, coctionis ſigna, & ipſum præprimis locum affectum. His omnibus ritè cognitis, regulas practicas exactè adplico, juſtâque earumdem adplicatione factâ, annuo, abnuo.

X.

An infantes ſoleant hæmorrhoïdibus laborare?

Ita nobis vetulæ cuſtodes jurant, matreſque matronæ: facto verò accuratiore examine conſtat, tenello in

corpuſculo, finem recti laxari ſæpiùs, ejuſque relaxati plicam referre tumorem, quem falsò hæmorrhoïda adpellitent : vel etiam tumorem hunc & preſſum, & ani ſtricturâ veluti ſuffocatum, ſpeciem gerere corpuſculi profundè rubri, aut lividi ; quod hæmorrhoïdis appellatione perperàm inſigniatur. Inexpertâ manu data infantibus enemata ; peſſimus, iſque frequens tamen, mos, ſuppoſitoriis, ex calidiore ſemine ſaccharo involuto, eoſdem aſſiduò torquendi ; ani tumores, excoriationes, imò ſanguinis fluxum excitare quidem poſſunt : at verò ideò hæmorrhoïdes aut non ſunt, aut ſi ſint, ut per infortunium natæ, curandæ ſunt. Poſſe autem contingere, ut infanti fluxus hæmorrhoïdalis, ſpontè naturâ, naſcatur, inficias haud ivero, quemadmodum *Etmuller*, *tom.* 2. *part.* 1. *pag.* 143. in pueris hæmorrhoïdas obſervatas eſſe, non ſuâ, ſed *N. C. ann.* 4. *pag.* 299. auctoritate refert ; haud, inquam, id nego, modò mihi concedatur haud minus id in natura monſtrum eſſe, quàm ſi recèns natæ puellæ menſes fluant, cujus rei quoque exempla enarrantur.

Sane *Hippocrates* in *Coacis* jam dixe-

rat hæmorrhoïdas ante pubertatem non obſervari, neque in *Aphoriſmis* eas inter pueriles morbos unquàm recenſuerat : undè egregiè *Duretus*, *pag.* 417. in *Coac.* » Quia in pueris, » *inquit*, nulla eſt cacochymia melan» cholica, per hæmorrhoïdas expur» ganda, nec ulla plethora venarum, » quæ adjacent lumbis, per hæmor» rhoïdas evacuanda : quæ duæ omni» nò ſunt cauſæ cur hæmorrhoïdes non » ſint in pueris ; quoniam aliundè cieri » non poſſunt : nec verò pueriles mor» bi ejuſmodi ſunt, ut ἀπόστασιν eò » moveant. »

Equidem haud diffiteor infantili in corpore venæ ſectionem nonnunquàm requiri, & in acutis eorum morbis, in dentitione difficili, &c. ſummo cum emolumento ſubindè fieri ; verùm hîc humorum potiùs dicas rarefactionem ab acrimonia adeſſe, quàm nimiam cruoris copiam : neque naturales evacuationes ſanguinis, ante manifeſta quædam pubertatis indicia, expectamus : imò ſi contingat, ut fortè humores ſeu copiâ, ſeu rarefactione nimii, intra arctiora vaſorum ſpatia paulò ante pubertatem vix contineri queant, conſuetiſſima iis fit hæ-

morrhagia narium, & nullatenùs hæmorrhoïs. Undè neceſſariò conſequitur id, ut licet de proſapia genitus ſit infans, cui ab ævo immemorabili hæmorrhoïs familiaris, tamen tempus pubertatis requiratur, antequàm verè adpareat.

XI.

Cur hæmorrhoïdes aliis, quàm aliis nationibus frequentiores?

1. A natura ſpiſſioris ſanguinis, quem calidior atmoſphæra, fluidum vitalis liquidi continuò diſſipans, generare ſolet.

2. Ab incraſſante diæta. Lege enim hydroſtaticâ & hygraulicâ, ita noſtris cum humoribus eſt comparatum, ut partes ſolidiores, ſubtilioreſque, ſurſùm; craſſiores verò, fungoſiores, ramoſiores, ferantur deorsùm. Quam ob cauſam craſſorum humorum fit major verſus infernas corporis plagas determinatio, accumulatio.

3. Sed eſt tertia ratio, ferè reliquis omnibus prævalens, prava nimirùm medentium conſuetudo, qua quinquageſies fortaſſè, & ultrà, hunc fluxum promovere ſatagant, ubi vix ſemel eas natura indicaviſſet. Vide *prænob.* &

doctiſſ. Hentſchel Theſ. de Hæmorrhoïd. n. XII.

XII.

An igitur dolor, ac tenſio, pulſatioque, in lumbis, dorſo, collo, non indicant naturæ ad hæmorrhoïdas niſum? Nonne ipſe dixit Hipp. Coac. 308. τὰ ἐν ὀσφύϊ ἀλγήματα, αἱμορροΐνα. *Nonne* Coac. 312. *dixit* Ἐν ὀσφύϊ ἐπωδύνῳ καρδιαλγικὰ προσελθόντα σημεῖα αἱμορροώδεα, ἢ κὴ προγεγενημένα? *Et* Prorrh. 1. text. 130. Ὀσφύϊ ἐποδύνῳ καρδιαλγικὰ προσιόντα σημεῖα αἱμορραγώδεα· ὄιμαι δὲ κὴ προγεγενημένον σημεῖον.

1. Si quis omnes numeroſos textus *Coacarum* ordine legat, is videbit hos dolores, tenſiones, poſterioris corporis, nunc hæmorrhoïdas deſignare, nunc menſes, nunc alvi profluvia, nunc deliria, nunc convulſiones, & ſic porrò. Adeò ut hæmorrhoïdas hinc nemo jure concludat, niſi peculiaria earum ſigna ſimul adſint.

2. Plurimi chronici morbi, nephritides, arthritides, rheumatiſmi, has partes corporis poſticas centies dolore ac tenſione afficiunt, ſine ulla indicata hæmorrhoïde.

3. *Hæmorrhoïdum, hæmorrhoïcorum,*

hæmorrhoorum appellatio tam rarò evacuationem ſanguinis per ani venas ſignificat, ut unus interpretum vulgari ſignificatione hodiernâ hæmorrhoïdas intelligat, alius quamcunque ſanguinis evacuationem ab *Hippocrate* deſignatam putet. Et quod magis mirere, horum ſinguli adeò in interpretando auctore ſuo ſunt incerti, atque inconſtantes, ut nunc idem verbum in generali ſignificatione uno in loco, in alio potiùs ad hæmorrhoïdas peculiariter, referant: idque ita, ut ex contextu toto rationem ignores, cur hic potiùs generali, quàm peculiari ſignificatione, id interpretentur. Convincetur hujus, quod dico, qui textum *Coac.* 307. 312. 333. græcè legens, interpretationem quæſiverit apud *Duretum*, *Foëſium*, *Charterium*, *&c.* Idem verum eſt de textu *Prorrhet.* ubi *Foëſius* hæmorrhoïdas, *Charterius* eruptionem quamvis ſanguinis intelligit, licet *Galenus* hunc textum magis de hæmorrhoïdibus expoſuerit. *Proſper Marianus*, *text.* 312. explicans, ita omnem omninò hæmorrhagiam intelligit, ut hæmorrhoïdum ne meminerit quidem.

dem. *Hollerius* & *Jacotius*, quamvis utrique etiam præter alias evacuationes de hæmorrhoïdibus hîc agi censeant, tamen textum hunc ex græco vertentes, *ſanguinis fluxionem* in genere poſuerunt.

Finis libelli de Hæmorrhoïdibus.

ELENCHUS CAPITUM.

CAPUT I.

Varia de ſudoribus in morbis acutis. Pag. 1.

CAPUT II.

Varia de criſi morborum. Pag. 15.

CAPUT III.

De morbis acutis cum petechiis & miliaribus. Pag. 75.

CAPUT IV.

Problemata de ſcorbuto. Pag. 142.

CAPUT V.

De machina ad curandum ileum deſperatum. Pag. 174.

CAPUT I.

CAPUT II.

CAPUT III.

CAPUT IV.

CAPUT V.

Baccae ubi describuntur p. 153 seqq.
item aliae plantae cum fructibus
p. 167–68 seqq.


B
A